This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

789
DISSERT
MEDICA
616
.0
D26j

B-616.0
D 26

JOSEPHI EMANUEL DE DAVALOS,

LIMANI, APUD PERUVIANOS,

In Pontificiâ Divi Ildephonsi Universitate Philosophi, Artium Magistri, Doctoris Medici & Regiæ Limanæ Divi Marci Universitatis Membri, catervarum sparsarum immemorialis Regis dictarum primi Physico Medici, necnon à Biennio in celeberrimo Monspelien. Ludoviceo Alumni;

BIBLIOTECA

SPECIMEN ACADEMICUM

De Morbis nonnullis Limæ grassantibus ipsorumque therapeiâ.

Quod, Auctor, Deo duce, auspiceque Deiparâ, in Augustissimo Ludoviceo Monspeliensi publicis subjiciebat disputationibus, die 5 mensis Martii anni 1787.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.

Solum studium Hippocraticum aptum est quod in viam devios reducat.
De Haen.

MONSPELII,
Apud Joannem-Franciscum Picot, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum.
M. DCC. LXXXVII.

ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Pro-Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE *Coadjutor.*

NOBILISSIMÆ AC FIDELISSIMÆ

REGUM CIVITATI

LIMÆ

IN PERUVIA.

Dum patrio amore, ætatisque floridæ meæ ac fortunæ impensâ, provincias, regna, Maria, terrasque alio sub sole repostas invíso; dùm jàm doctissimam in Europam prima mea molimina, ad ima, (pro secundâ vice), Apollinis fani penetralia illabendum; dùm Monspelienſi in Ludoviceo, Medicinæ emporio, Doctorali me purpurâ decorandi habeo in votis; Quid optatius? Quidve mihi gloriosius? Quàm Limæ, meo natali arvo, exiguum nec satìs politum meum consecrare specimen. Levidense munusculum hoc patriæ offerendum jurè debebam, cùm Limanus sim civis, & in Limanæ gentis bonum edendum susceperim.

Tenuitatis meæ planè conſcius à laudibus tuis abſtinerem, O PATRIA; ni atris, quibus ſcriptoribus libuit, te dedecoribus fædari (1), *mihi vindictam incumbere credidiſſem. Horum dicteria & fabulas facilè deteremus, ſi recordemur quantùm famæ & honoris in litterarum culturâ Limani vaſtum per orbem fuerint adepti.*

Enìm verò, Dom. Didacus Herrera *nobis ſtatìm anno* 1699 *ſe offert : de cortice Peruano & arboribus uniformis virtutis ; de materiis Peruanis, ſcilicet de Thermis, de aquis, de morbis endemiis regionalibus ſcribens, & communi effulgens applauſu.*

Aſt ne longè diſcedamus, Limæ ornamenta noſtro conſpiciamus ævo. Et quidèm Dom. Petrus de Peralta, *ſuæ doctrinæ certa præbet ſpecimina, per*

(1) Il n'eſt ſorti de l'Académie de St. Marc à Lima, aucun ſujet qui ait été capable de faire un mauvais livre : cependant cette Ecole a joui de plus de célébrité que les autres Univerſités Américaines. *Recherches phil. ſur les Américains, tom.* 2, *p.* 141, *edit. de Berlin*, 1774.

magnum populorum ſtudium (1) *ac cognitionem, profundam Mathematices notitiam* (2), *in variis Europæ linguis* (3) *& in utroque jure ſcientiam, cet.*

Excellentiſſimus Mexicanus Prorex Dom. Comes De Valle umbro*o quanto fulgore!.... Aſt ne hujuſce heroïs ſplendorem meus caliginet calamus, audiamus R. P.* Jacobum Vanierium.

....Si cuncti rectè diſcantur ab uno (4);

---

(1) Vid. ejus populorum hiſtoria.

(2) In Limanâ Univerſitate fuit hic Mathematices Profeſſor, ante ingreſſum D. *Godin*, ex quo clarè patet quantùm erraverit auctor operis inſcripti. *Recherches philoſophiq. ſur les Améric.* dùm dixit (*tom.* 2, *p.* 141.) « Quand » M. Godin fut élu Profeſſeur de Mathématiques » & d'Aſtronomie au Pérou, il ne trouva pas » un Etudiant capable d'entendre ſes leçons; » & ſes leçons n'ont jamais été compriſes dans » ce coin du monde ». *Vid. etiàm Commentarii ſui, in actis Regiæ Scient. Acad. Paris.*

(3) Septem calluit linguas, & Gallico idiomate carmina compoſuit. De origine linguarum etiàm ſcripſit vernaculè.

(4) Talis eſt nota in primis editionibus operis R. P. Vanierii; *Dom. Joſeph. Pardo de Figueroa, nobiliſſimus Limæ civis & prætorianarum*

Linguarum morumque ſciens, interprete nullo,
Europæ varias gentes qui nuper obibat,
Hoſpes ubique novus nullâ peregrinus in urbe.

Dom. Antonii de Boſa, *quis non mirabitur in pertractandis negotiis & in rebus publicis adminiſtrandis ſedulam mentem? Cujus perſpectis animi dotibus, publicæque ſalutis amore, ad ſui conſiliarii eximium munus exequendum excellentiſſimus Limanus Prorex D. Comes* de Superundas, *per totum ſuæ præfecturæ tempus illum compulit.*

Si illuſtriſſimum D. Marchionem de Soto florido, *virum nobilitate ac natalium ſplendore excelſum, pietate inſignem, profundiſſimis in ſcientiis cognitione ornatum, noſtroque ſub dio adhucdùm vitâ (quam Deus, ad neſtoreos annos, incolumen ſervet) fruentem, proſpiciamus; ſcripta nigris fabulis contexta ſilebunt. Huic, omnium monumenta gentium, diverſaſque Europæ ac Orientis linguas cal-*

---

cohortum in Mexico dux præfectus, vir omni doctrinâ ornatiſſimus.

lenti, rerum naturalium fideli perſcrutatori, & in utroque jure meritiſſimo Univerſitatis Profeſſori, nec-non Procuratori generali, nihil deeſt ad ſui decorem.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Quanta dicenda forent de præclaro Dom. Pabli De Olavide, *nobiliſſimo Limæ civi, quem ſapiens ac juſtus rerum æſtimator MAGNUS CAROLUS TERTIUS remuneravit, eum Regiam Hiſpalenſem præfecturam donando. Aſt cùm tanti hujuſce viri ſcientia omni pateat Europæ; meritò ſilebo.*

Nec prætermittenda veneranda Marchioniſſa De *Caſa* Calderon; *quæ ſapiens heroïna Latinam Linguam, Hiſtoriamque Sacram, Profanam, ac naturalem ad plenum noſcit.*

Non *ſunt inferioris ſubſellii, illuſtriſſ. Marchio* De Caſa Concha, *DD. Comes* de las Torres, Antonius Gamboa (1), Joſephus de Baquixano, Joſephus de Urquizu, de Moreno, de Rua, Bravo

(1) Vid. Comment. ſui aſtronomici ad Regiam Scient. Paris. Academiam miſſi.

del Caſtillo, & Bravo de Rivero, *nec-non in ſcientiis multoperè commendandus* D. de Urquizu; *vir togatus.*

Talibus exemplis freti, CONCIVES MEI, *alacres ad gloriam majorum noſtrorum totis viribus adſpiremus. Vos autem*, PATRES AMPLISSIMI, *deprecor atque obteſtor per ſupremum numen, ut nomine patriæ benignoque vultu tenuem libellum accipere dignemini quem dicat, vovet, conſecrat,*

Humillimus ac obſequentiſſimus ſervus,

J. Eman. de Davalos.

Dabam Monſpelii,
die 22 Februarii
anni 1787.

SPECIMEN ACADEMICUM

De morbis nonnullis Limæ graſſantibus, ipſorumque Therapeïâ.

JAM diù mihi penſitanti & in animum revolventi, quid, pro inaugurali diſputatione, proponerem, quod Peruvianis tyronibus utilius foret ac conducibilius, meoque patrio amori magis conſentaneum; nihil ſeſe obtulit quod votis meis meliùs reſponderet, quàm morborum patriæ meæ familiarium exiguum tentamen conari: argumentum arduum ſanè ac magni momenti! Aſt qui noverit quantùm, in praxi medicâ, attenta ac accurata obſervatio interſit, is minimè mirabitur, quòd dùm primos meorum, in intricatiſſimâ arte, laborum (*a*) fructus practicos eruditorum ſubjicio cenſuræ, materiem ſelegerim viribus meis forsàn imparem, ſed utilem valdè, ſed por-

(*a*) Medicinam exercui per ſpatium quinque annorum, tùm Limanâ in urbe, tùm Limanenſibus in Noſocomiis, medici Vices gerens.

tentoſam, potiùs quàm, in naturæ arcanis evolvendis, ſpecioſas tantùm fingere theorias, vana condere ſyſtemata.

Felix illa regio, ubì vigent ſcientiæ naturales; ubì medicinæ ſtudium totum in obſervatione eſt; ubì omni operâ nituntur clinici, naturæ ſcrutatores indefeſſi, ùt ad ſummum attingant artis faſtigium, & ideò, neglectis, ablegatis, Philoſophorum, Peripatheticorum præcipuè, abſurditatibus, anatomiæ, phyſiologiæ unà cum phyſices, chemiæ, botanices, hiſt. naturalis, cet. ſinè quibus ars curatoria non niſi merus eſt empiriſmus, inquiſitione ſolâ occupantur! Talibus fulcris innixam videmus feliciſſimè vigere medicinam per Galliam, Angliam, Germaniam, cet. utinàm & jàm liceret eodem encomio patriam meam condecorare!.... Sed faveant Superi; faveat præ primis AUGUSTI CAROLI TERTII REGIS NOSTRI CATHOLICI, SAPIENTIS NOMINE IN ORBE COGNITI, regia pietas, paternus ergà populos amor, paterna ſollicitudo, & citò veniet tempus ubì, in hâc novâ mundi parte, ſcientiarum fax eluceſcet.

Nunc te, benevole lector, benignum fore ſollicito, dùm ingredior per vallem denſis frondibus atram. Si contingat igitur ceſpitare, ut fieri poteſt ambulanti per loca prærupta, apud te excuſatum iri ſpero. Denique juvamine altipotentis Dei, veſtrâque, Profeſſores ornatiſſimi, fretus benevolentiâ, torridi novi orbis climatis morbos examini veſtro ſubjicio; ſed, antequàm ad eos deveniam, pauca, de Limani cœli ſoliſque naturâ, dicere, per vos mihi liceat.

Miror ſanè, dùm patriæ meæ clima, non ſolùm, contrà Ariſtotelis & Platonis mentem, habitabile video, ſed temperatum, ſed fertile in tribus naturæ regnis, idoneumque ad ſalutem longævitatemque hominum (*b*); miror, inquam, quòd concives mei, de rerum naturalium inquiſitione, inveſtigatione, tàm parùm hùc uſquè fuerint ſolliciti, & densâ quaſi nube involvantur; ità ùt, divitiarum cujuſcumque generis, undique circumdati, tanquàm inopes & eſurientes tamen habendi ſint.

Lima præſtantiſſima totius Peruviæ urbs ejuſque metropolis, intrà 78 longitudinis occidentalis gradum & 12 $^{1}/_{2}$ latitudinis ſita, nivales gelidosque montes ad orientem habens & oceanum ad occidentem, ſalubri, præ primis, jucundiſſimâque temperie excellit. Intùs perſpecta, montibus eſt circumdata, & aquæ fluviales, ex magno flumine *Rimac* nomine, exeuntes, totam irrigant urbem, non minùs quàm fertiles ejus campos. Porrò, ex æqualitate tempeſtatum, in hâc felici mundi plagâ, duo tantum obſervantur anni tempora, quorum unum calidum & ſiccum quod æſtas dicitur, alterum calidum & humidum quod hiems vocatur. Primâ in tempeſtate, nec terra, nec habitantium corpora areſcunt, ſed æſtu meridionali temperato fruuntur, ob perpetuos rores (*c*) & jucundiſſimos

(*b*) Dominam *de Orbea* nobiliſſimam civem Limanam novi, quæ centum & decem annos habebat. Centenarii & etiam ſunt in eâdem urbe Dominus Sancho Davila & alii quorum nomina mihi ignota.

(*c*) Hinc procul extremis americæ in finibus, oram
Æquoream propter, medius ſol immmet urbi
Quam dixere Limam: Phœbo propiore calentes
Temperat aura dies, quæ frigida mane propinquo
Spirat ab oceano: quum veſpere laſſa quievit

flatus, nunc ab oceano, nunc ab altiſſimis montium jugis, ſpirantibus.

Cœlum ſæpè nubibus obſcuratur, quæ, licet nunquàm in pluvias mutentur, radiorum ſolis terram rectè ferientium, vim, ardorem infringunt.

Noctes diebus æquales ſunt, ità ùt, ne quidèm æſtivo tempore, unius horæ ſpatio dies ulla noctem ſuperet, & viciſſim.

Magna per noctem aëris condenſatio, illam reddit valdè rorisfluam, hìnc enim ùt arbores foliis omnibus ſimùl non orbentur (*d*), ſed, parte unâ decidente, altera adhùc maneat, donec prior repullulet, & plurimæ quidem, toto anni tempore, flores & fructus producant (*e*). Porrò deniquè temperatum eſſe hoc clima demonſtratur ex eo quòd, aëris refrigerandi causâ, nullo Limani utantur artificio (*f*).

Felices nimiùm populi, queis prodiga tellus
Fundit opes ad vota ſuas, queis contigit æſtas.

Succedit variatque vices adverſa, nivoſos
Quæ montes gelidosque madens præterfluit amnes...
VANIERI præd. ruſtic. lib. 6.

(*d*) Ros vegetationem valdè promovet; particulis ætherogeneis quæ ex omnibus corporibus tàm animalibus quàm vegetabilibus exhalant conſtat. *La roſée diſtillée*, ait clar. Muſchenbroeck, *donne, outre l'eau, du ſel, de la terre & de l'huile.....*

(*e*) Irriguis ergò Pyrus altera floret in hortis,
Altera curvatur fructu; maturaque nullo
Tempore deficiunt ſitientes poma colonos;
Dumque ſolum movet, aut ſarmenta fluentia cædit
Vinitor, hinc dulces in eiſdem ſepibus uvas
Colligit, hinc vitis captat florentis odorem.
VANIERI præd. ruſtic. lib. 6.

(*f*) Perpetuo cives ibi vere fruuntur; & annus
Labitur uſque ſui ſimilis.....
Id. ibid.

Æmula veris, hiems ſine frigore, nubibus aër
Uſque carens, nulloque ſolum fecundius imbre (g)

Hæc, de temporis brevitate, dicta ſufficiant; ex quibus videtur ſaluberrimum hoc clima eſſe, parùmque, ex ſe, idoneum ad generandos morbos, nàm neque ſolis calore terra hæc torretur, neque aquarum penuriâ exſiccatur, ſed roribus perpetuis atque fontibus irrigatur. Quinimò haùd procùl a Limanâ urbe, ſtatlocus quidam, quem *mira flores* vocant, in quo, tàm ſalubris ſpiratur aër, ùt ipſi ægrotantes, qui ibi transferuntur, amiſſam brevi recuperent ſanitatem.

Hinc concludendum eſt, morborum in illâ regione graſſantium occaſionales cauſas aliis in rebus quærendas eſſe. Tùm obſervatione tùm ratiocinio innixi nos meritò cenſemus, morbos in Peruviâ regnantes pendere, ut plurimùm, ex uſu ciborum craſſorum, viſcoſorum & concoctu difficilium: His addi poſſunt ea quæ perſpirationem ſanctorianam cohibere queunt, dùm, per calores æſtivos, incolæ frigido, per noctem, aëri incautè exponuntur; quippè, illâ in regione, noctes fri-

---

Doctiſſimi DD. *De Ulloa & de la Condamine*, repetitis experimentis in Peruviâ factis, viderunt & demonſtrarunt aërem magis temperatum eſſe in novo mundo quàm in antiquo; quod etiam clariùs eluceſcet, ſi conferantur illa exp. cum his quæ tentata fuerunt in climate torrido antiqui continentis, ab indefeſſo viatore *Adamſon*, ut videre eſt in opere clar. hujus viri cui titulus *voyage au ſénégal*.

Les Thermometres n'ont guere monté plus haut au Perou, au centre de la Zone-torride, qu'ils n'avoient fait en France au fort de l'Eté. En 1736, le thermom. marquoit à *Quito* ville à 13 minutes ſeulement de l'équateur, 111; à midi 114; le premier Juin au matin 111, & à midi 113 1/2. (*Mém. de l'Acad. Roy. des Sc.*

(g) Vanieri præd. ruſt. lib. 6.

gidiores ſunt æſtivo tempore quam hiemali. Inter hæc percontari debent etiàm aquæ per totam Urbem reperiundæ. Magnam attentionem merentur exteriores illæ cauſæ, ex earum enim neglectu multâ profectò damna ſequuntur. Aſt reſpiciendum eſt quoque ad cauſas internas, quales ſunt v. g. vitioſa partium, organorum ſtructura, prava humorum diathæſis, cet.

Hic, per tranſennam, notare mihi liceat, cauſarum rectam cognitionem, ad veras indicationes curativas Medicum quaſi manu conducere: *Medicus ſi ſuffecerit ad cognoſcendum*, ait Galenus, *ſufficiet ad curandum*; *prima namque remediorum inventio eſt cognitio morbi.* Porrò nulla datur morbi cujuſcumque accurata cognitio, niſi hanc preceſſerit cauſarum inveſtigatio: hujus præcepti veritas à medicinæ principibus, Omni ævo, prolata fuit, adhucque firma ſtat, invitis clamoribus vanis quibus, cauſarum tum internarum tum externarum, inquiſitionem ſupervacaneam & inutilem prædicare nonnulli conantur. Natura autem, ſeu, ut alii dicunt, principium vitæ aut vitale, abſque concurſu cauſarum, minimè morbos producere valet; quinimò, vitalium functionum ſanitatiſque cuſtos providus, nec-non morborum debellator indefeſſus, dici debet illud principium, quidquid in contrarium conclament Scriptores quidam vanis imaginationis illecebris decepti, nubemque pro Junone amplectentes.

Verùm enim verò ut appareat nil à me ſuperiùs fuiſſe prolatum, de pravis qualitatibus ciborum præcipuorum quibus nutriuntur Limani, quod veri-

tati non ſit conſentaneum, cibos illos breviter exponam.

Limani, ut aiebam, pingui ac craſſo victu utuntur; ter quaterve de die comedunt, &, quâlibet vice, cibum ſumunt copiâ æqualem: prætereà varietate ciborum nimioque carnium uſu delectantur, præcipuè carne ſuillâ quæ familiaris illorum eſt eſca, licet minimè ipſis deficiant piſces, carnes & alia eſculentorum genera quibus Europæi veſcuntur: manè igitur projentaculo, ſuillam carnem & omne cupidiarum genus ſumunt, loco chocolatæ quam, licet laudabile ſuppetat nutrimentum, credunt tamen valdè calidam ac ſanitati non accomodatam. Fructus refrigerantes, ſive crudos ſive coctos, qui utiliter à jejuno comederentur, parvì faciunt, aut quidèm fructus illi qui, ſi ſponte & perfectè matureſcerent, ſuaviſſimum, præſtantiſſimum, ſanitatique valdè accommodatum præberent pabulum, noxas multas noſtratibus inferunt, cùm plerùmque non comedantur niſi immaturi, vel ſaltem imperfectè maturi, mediante ſcilicèt calore artificiali.

Limanis etiàm admodùm familiaris eſt uſus cujuſdam radicis per totam jàm Europam ſatis cognitæ, à noſtratibus *Papas* (*h*) nominatæ, à Gallis *Pomme de terre*.

(*h*) *Papas*, quæ hodiè per univerſam colitur Europam & victui inſervit, eſt vera *ſolani* ſpecies; undè facile judicatur illam ſuſpecti quid abſcondere etſi parvâ ſatis quantitate; hæc autem parva quantitas, ex frequentiori uſu, noxium producit effectum. *Linnæi amœnit. Acad.*

Relatum mihi nunc apud Burgundos harum radicum uſum interdictum, perſuaſi earum uſum lepram, cachexiam cauſare. *Bauhin prodrom.*

Radix eſt altera, *jucas* dicta, quâ in quotidianam eſcam fruuntur, nunquam tamen crudâ, quià venenum eſt, licet ut tale à noſtratibus non agnoſcatur : amylum ex illâ conficiunt.

Lardum, olera, allium, cepa, pipera tam nativa quam exotica, & omnia aromatum genera, frequentiſſimè comeduntur.

Inter potuum genera, concivibus meis familiaria, percontari debent *taffia*, à Limanis *guarapo*, aqua vitæ, & varii liquores ſpirituoſi.

Reipublicæ Adminiſtratorum, vel Magiſtratuum incuriâ, mortuorum corpora intrà muros urbis ſepeliuntur : Noſocomia quoquè in medio civitatis ſtant : aſt hæc multas noxas producere valent ; omnibus enim notum eſt, effluvia, quæ ex ſolutione animalium putridâ emittuntur, majora producere damna, aërem venenatâ mephiti conſpurcando, quàm quæ ex putrefactis vegetabilibus avolant.

Ex his omnibus facillimum erit præjudicare quibus morbis obnoxii debeant eſſe Limani, & quâ medendi methodo feliciter debellari poſſint illi morbi. Hinc etiàm colligetur therapeïam auctorum qui in frigidis vel in fervidis nimis regionibus ſcripſerunt, nullo modo noſtratibus convenire..... In remediis præſcribendis, ſemper antè oculos habe tui climatis naturam, tuorumque popularium temperiem ; nequè quicquam præſcribas quod ex libris didiceris, niſi prædicta calleas *Baglivi.*

Nunc de morbis illis ſeorſim agamus ; & primò de febribus quæ apud Limanos familiares ſunt.

CAPUT PRIMUM.

De febribus.

DUM in ægro quodam obſervatur pulſûs celeritas, vel à ſuo ſtatu naturali ſenſibilis mutatio, aberratio, cum functionum læſione, ægrum illum febricitare, juxtà celeberrimorum practicorum opinionem, dicendum eſt.

Febrium autem differentiæ ſeu diviſiones, ex diverſitate, naturâ, concurſu aliorum & variorum ſymptomatum deſumuntur.

Notandum hic per tranſennam, quòd illa febris quæ ab Hiſpanis *vomito prieto* nominatur, & à gallis *maladie de Siam*, communiſque eſt in inſulâ Sancti Dominici & in aliis regionibus utriuſque Indiæ, nunquàm noſtrates infeſtare valet.

Nulla febris ſpecies frequentiùs & familiariùs Limano in ſolo viget, quàm tertiana intermittens, cujus ſcilicet acceſſiones tertio quoque die recurrunt; hæc omnes indiſtinctè invadit tum exoticos tum indigenas, licet tamen Europæi huic magis obnoxii ſint, ratione intemperantiæ.

Morbi hujus invaſio ſubitanea eſt; accedunt protinùs rigor, vel, ubi levior morbus, ſola refrigeratio; vertigo, nauſea, anxietas, non rarò vomitus bilioſus in quo materiæ cujuſdam viridis magna rejicitur copia; mox ſequitur calor plùs minùsve urens, difficultas ſpirandi, capitis & lumborum dolor, non rarò delirium; pulſus, ut

primùm incipit acceſſio, parvus eſt & contractus, dein validus & vehemens & celer fit; urina ſubtenuis, flava, aut flammea eſt, malique odoris; cet. Acceſſio ſudoribus ut plurimùm terminatur. Si febris tertiana ſimplex & benigna ſit, ſub eodem ferè aſpectu, cum majori vel minori tantùm intenſitatis gradu, in toto morbi decurſu vigent hæc ſymptomata.

Prima noſtratium medicorum cura in illâ febris ſpecie, ſicut in omnibus morbis (*i*), ventriculum ac inteſtina evacuare eſt, ſivè cathartici, ſivè emetici. His exhibitis, ſi ſanguinis miſſio neceſſaria non ſit, tincturam noſtri corticis cum ſale cathartico propinant.

Non deſunt medici inter noſtrates, ſicut in Europâ, qui credunt corticem peruvianum miniſtrari non poſſe niſi poſt aliquas acceſſiones: Sed primò, quo citiùs cortex miniſtratur, eò firmiores in ægro ſtant vires quibus corticis efficacia corroboratur. Secundò, Limenſes febres vulgò ſequuntur icteritia, hydrops, & obſtructiones viſcerum; quæ omnia, ut puto, ex ſerâ corticis miniſtratione proveniunt (*k*).

(*i*) Amicus meus *Dom. Gabriel de Moreno*, Medicus eximius ac profundus mathematicus, in principio curationis morborum oleum amygdalarum dulcium præbet, & non ſine ſucceſſu: Aſt hic audiamus *Baglivium*; » tirones mei, inquit, præ oculis ſemper » habete, ut ne quid nimis: febres, morbosque meſenterii » non..... non hauſtibus olei amygdalarum dulcium quod neſcio » quo fato ſingulis penè in morbis à noſtratibus hodiè adhibetur, » curabitis; ſed..... intùs & extrà varia remedia adhibendo. »

(*k*) Feliciſſimus practicus *Lind*, in appendice eximii operis ſui, de febribus intermittentibus, ſermonem habens de febribus illis annis 1765, 1766, 1767, graſſantibus, ſic loquitur..... » Quand

De mirabili opii virtute in hâc febrium profapiâ nonnulla prolata fuerunt : Et quidèm nihil eſt quod meliùs diſponat ad corticis ſubminiſtrationem, ſi congruo tempore exhibeatur, nempè vigente calore : æſtum & febrem minuit, & ſudores copioſos promovet, quibus mox perfecta ſuccedit intermiſſio, *Lind* (*l*). ſi *Galeni*, *Trallia-ni*, *Avicennæ*, *Etmulleri*, *Freindii*, *Riverii*, cet. Opera perlegimus, inveniemus illos cum opio intermittentes febres curaſſe.

Febris tertiana, per ſe, minimè periculoſa eſt : In illâ, ſi plures acceſſiones æquè vehementes & æquè diuturnæ ſunt, eâdemque horâ repetunt, judicandum eſt cauſam febris nondùm fuiſſe ſublatam. Quod ſi ſequens acceſſio tempora ſolita prioris antevertit, eademque magis & diutiùs affligit, tùm febris increſcit. Stat verò febris, cum

---

» la fiévre cédoit au quinquina immédiatement après le premier » ou le ſecond accès, comme je l'éprouvai ſur moi-même & 200 » de mes malades, elle n'étoit point ſuivie de jauniſſe ni d'hydro-» piſie. Lorſqu'au contraire ce remede n'avoit pas été employé, » ſoit par négligence, ſoit parce que la rémiſſion avoit été impar-» faite, l'hydropiſie, la jauniſſe, ou une douleur de tête habi-» tuelle, en étoient toujours les ſuites. ..... En 1765 j'ai traité » 400 ou 500 perſonnes atteintes de fiévres rémittentes ou inter-» mittentes, je n'en ai perdu que deux, ni l'une ni l'autre n'avoient » fait uſage du quinquina. »

(*l*) » J'ai preſcrit ce reméde (l'opium) à plus de 300 per-» ſonnes attaquées de ces fiévres (intermittentes) ; voici ce que » j'ai remarqué : donné pendant l'intermiſſion, il n'a ſervi de rien : » adminiſtré pendant le froid, une ou deux fois il a paru éloigner » le retour du paroxiſme : mais pris demi-heure après le com-» mencement de la chaleur, communément il a produit un ſou-» lagement immédiat..... Je puis même affirmer que l'opium don-» né dans le temps du délire qui ſurvient pendant la chaleur, ne » l'augmente point, quoiqu'il ne parvienne pas à le diſſiper. » *Lind, appendice ſur les fiévres intermittentes pp.* 203, 205.

omnia ex toto penè ſunt æqualia in duobus aut pluribus circuitibus ſucceſſivis. Tandem ſi cunctatur acceſſio, breviorque, ac mitior eſt ſuperiore, febrem declinare conſtat.

Aſt ſæpiſſimè tertio aut quarto paroxyſmo morbus ille fit degener, ruit in pejus, mutaturque in febris ſpeciem quandam multò graviorem, ſcilicet, vel in continuam exacerbantem ad meſentericam *Baglivi* accedentem (*m*), vel in perniciosàm:

Prior ſequentibus ſtipatur ſymptomatibus: exacerbationes non ſolùm erratico modo fiunt, nullamque periodum regularem ſervant quoàd recurſum, ſed differunt etiàm inter ſe ratione intenſitatis, durationis, cet. Os plerùmque amarum eſt ingrative ſaporis cum fœtore & cum quâdam nauſeâ, & quandòque bilis certa copia per vomitum rejicitur; lingua viſcida, glutinoſa & cruſtâ quâdam albâ obducta; in exacerbatione pulſus fit frequentior; urinæ initio tenues, crudæ & albæ, in decurſu craſſiores & coloratiores evadunt; caput hinc & indè nutando gravitat, & aliquotiès dolet gravitando, cum pulſatione circà tempora; venter inflatur; præcordia tumefacta, multotiès cum dolore & alvi conſtrictione tenaci, obſervantur; in fine exacerbationis, ſæpiſſimé, madidi viſcidique vaporis halitus, per ſpiracula cutis, in corporis ſuperficiem emittitur.

(*m*) Febris meſenterica *Baglivi*, nullo modo differt, ex *Piquero*, à quotidianâ antiquorum: ab illâ etiàm non multùm diſcrepat duplex tertiana continua quam latini ſemitertianam, græci hæmitritæion & tritæophyan vocarunt.

Hæc febris vere & præcipuè autumno viget : eſt autem vel bilioſa vel limphatica ; ſi bilioſa , præcordia obſervantur parùm turgida ſed dolorifica, lingua ſqualidior & cruſtæ magis flavæ obducta, urina rubra , & non rarò delirium. Limphatica minùs metuenda videtur , ſed reapsè difficilioris eſt curationis ; delirio caret , magnâ tamen comitatur virium proſtatione ; urinæ magis crudæ emittuntur & minus rubræ , & acceſſiones longiores evadunt.

Earum cauſæ clarè ex ſuprà dictis deducuntur: viſcerum obſtructiones, infarctusprimarum viarum, limphaticæ febri ; bilis redundantia aut orgaſmus bilioſæ , anſam præbent.

Ad ægrotantes uno vel alio morbo conflictatos, accerſiti præcipuam attentionem vertunt noſtrates medici in explorando abdominis ſtatu , ut nempè febris ſpecies rectiùs dignoſcatur & congruâ medendi methodo debelletur.

Gravis eſt affectus uterque , gravior qui à limphæ vitio oritur. Febres limphaticæ, ait *Baglivi*, omnium perniciosiſſimæ ſunt , præſertim ſi limpha nimiùm viſcida concretaque fuerit , ut ſæpiſſimè obſervavi : in his ſæpè urina bona eſt , boni ſunt pulſus , ſed peſſima lingua , peſſimus meſenterii ſtatus ob nimium ibidem putrem congeſtamque cacochyliam. (*n*)

Limphaticæ febris curatio à medicis noſtris felici cum ſucceſſu inſtituitur ſeligendo & adhibendo medicamina quæ magna attenuandi &

(*n*) Prax. med. lib. 1. pag. 51.

incidendi virtute pollent ; hâc de re , tartarum vitriolatum in-decocto hordei & radicum refrigerantium , incidentium , propinant ; intermixtis ſagaciter levioribus purgantibus , præſertim ſi magna adſit illuvies ſaburroſa. Quod præ cæteris animadverto , inquit *Baglivi* , in nullo morborum genere tantâ opus eſt patientiâ , expectatione , cunctationeque ad benè & feliciter medendum , quantâ ad benè curandas febres meſentericas. Glandulæ meſenterii repletæ , non , niſi lentè ac paulatim , è ſinu humores emittunt in vicinâ inteſtinâ. Communis enim omnibus glandularum morbis eſt diuturnitas. Quarè ſtomachicis è vegetabilium genere (herbis nempè ſtomachicis leviter amaris & aperientibus , ſero lactis cichoreato , vel deſtillato aliquo ex ſuccis aperientibus) digerendi ſunt meſenterii humores ; deindè repetitis per intervalla purgationibus educendi , & ità feliciter proſſligabis has febres (*o*). Non obliviſcuntur præprimis enemata repetita ; qui (quotidianus) clyſterum uſus , incredibile dictu , ex *Baglivio* , quantùm , ad liberandas primas vias à morboſis impuritatibus , & longos febrium progreſſus impediendos , conducat. Blandos fotus etiàm feliciter adhibent , ventrem nempè ſuperponendo omentum ex abdomine animalis cujuſdam recenter extractum vel decoctum & adhùc tepens : quæ methodus etiàm à *Baglivio* laudatur ; totum ventrem , ait magnus ille in arte vir , manè & veſperi foveo decoctione cali-

(*o*) Ibid. p. 53.

dâ..... Ad relaxandas magis primas vias, humorem concoquendum, & blandè disponendum ad seceſſum.

Inter noſtrates præcipuè medicos, illuſtriſſ. ac regius medicinæ Profeſſor Limanus Dom. Joannes *de Aguirre* febrem hanc feliciter debellat ptiſanis incidentibus ſalium mediorum cathartico rum mixtione acuatis, enematibus, cet. cujus methodi utilitas plurimis auctoritatibus, & quidèm non exigui ponderis, firmatur. Notatu digna eſt obſervatio; aperientibus juncta purgantia iiſdèm vires largiri majores; *Wedelius* (p).

Si verò bilioſa ſit febris, valdè metuendum eſt ne imi ventris meteoriſmus ibique latens viſcerum inflammatio ſubſequantur: nàm, tùnc temporis, in abdomine adeſt tenſio & perſentitur dolor licet obſcurus. Conveniunt igitùr & adhibentur in illo morbo antiphlogiſtica varia, & refrigerantia, & temperantia, & enemata, & fotus, & ptiſana ſuprà relata, cum ſirupo granatorum. Si valida ſit febris, ſi ingens ardor, ſi premens dolor & cetera ſigna phlogiſtica adſint, ſanguis mitti debet. cet.

Quibus variiſque auxiliis ritè miniſtratis, ad peruvianum corticem deveniunt: ſed non feſtinanter nimis propinari debet cortex ille; quamplurima enìm damna indè exurgerent, ſaltèm in Peruvià, ob cœli temperiem & noſtratium idioſyncraſiam, exquiſitam ſenſibilitatem, cet. Sic *Baglivius*; quod ſi, ait, imperitiâ ſuâ, ægroti,

(p) Amœnit. mat. med.

adſtantium, ob diuturnitatem morbi, ad uſum damnabilem chinæ chinæ deveneris, non benè priùs repurgato meſenterio, ex levi efficies gravem, continuam, longam, ad hecticam tendentem, & difficilè curabilem (*q*).

Cùm maligna ſeu pernicioſa febris dignoſcatur ex feroci aliquo & inaſſueto ſymptomate quod, febri cuilibet, pernicioſum ſuum imprimit characterem; pernicioſæ noſtræ febris, à primo ſuo ſtadio, paroxyſmi vel affectu ſoporoſo ſeu profundo lethargo, vel cardialgico dolore ſtipantur; quæ ſymptomata præ aliis urgent nec tamen unquàm ſimùl obſervantur. Hinc febris hujus naturalis diviſio in ſoporoſam & cardialgicam.

In ſoporosâ, febriles paroxiſmi vel omnibus diebus, vel alternis recurrunt; æger ſomno plùs minùſvè profundo corripitur, à quo excitatus rursùs in ſomnum delabitur; quandòque delirat ſeu conceptus ſuos exprimere non valet, imò balbutit, & mutit vel ſuſurrat; quæ omnia gradatim ingraveſcunt ità ut neque frictione, neque ligaturâ, neque aliâ ratione, aliâ arte expergiſci poſſit, nec, niſi declinante acceſſione ad vigiliam & mentis compotentiam revocetur.

In cardialgicâ verò, nullam, pariter, regularem periodum ſervant paroxiſmi; prætereà cardialgiâ torquetur æger ab initio acceſſionis; ſequuntur ſudores circà collum & frontem; oculi cavi fiunt; his accedunt proximè anxietas, languor, virium collapſus, nauſea, amariſſimæ

(*q*) Prax. med. lib. 1 pag. 53.

materiæ

materiæ vomitio (*r*); quæ ſymptomata ſudore copioſiori terminantur : pulſus, in pleriſque ægrotantibus, frequens eſt & debilis ; in multis, durus & intermittens : urina craſſa & coloris intensè flavi.

Ex meâ opinione, febris pernicioſæ cauſæ ſunt quæcumque corpori noſtro mali moris imprimunt labem.

Dirus ille morbus ingens vitæ periculum poſt ſe trahit, & ægros quamplurimos ad orcum ducit (*s*). Ab eo conflictatos, paucis diebus antè quàm patriam meam deſererem Europam peiturus, fato functos vidi, ſcilicèt, febre perniciosâ ſoporosâ, excellentiſſimum proregem *DD.* Auguſtinum *de Guarigni* & alios : febre verò perniciosâ cardialgicâ, ſimùl graſſante, Antonium *de Bermudes* cum uxore suâ & aliis.

Therapeïam hujus morbi noſtrates Medici ſic inſtituunt ; corticem Peruvianum quem ſtatim in principio, poſt unum ſcilicèt aùt alterum paroxyſmum, propinare deberent, trepidâ ac parcâ manu & tantùm præceſſis aliquibus præparantibus exhibent : fruſtrà autèm alia quæruntur remedia, dùm Peruvianus cortex totam

---

(*r*) Monendum eſt vomitus iſtos bilioſos inter initia morbi incidentes non malæ notæ eſſe, ſed potiùs molimina naturæ in ſuas vindicias. Sed, qui poſteà fiunt, per incrementa ad vigorem uſquè, heterogenea varia, atra, fuſca viridia, quin etiàm ingeſta non immutata ejicientes, niſi id per faſtidium & mente integrâ fiat, illi peſſimi ſunt, & pejores ſemper, quo plura mala ſymptomata ſimùl adſint. *Gmelin, diſſ. de febrib. malign.*

(*s*) Fallax admodùm periculique pleniſſima eſt hæc febris, & tùm ægrotum, tùm Medicum à prudentiâ clinicâ non ſatis inſtructum, facillimè decipit. *Georg. Frid. Sigwart de feb. tert. intermitt. ſopor.*

adimplet paginam. Aſt ne vehementia morbi, irritis omnibus artis conatibus, ægrum de medio tollat tertiâ aùt quartâ acceſſione, ad corticem deveniendum eſt tanquàm ad ſacram anchoram, exhibendo illum & primâ invaſione morbi, & primo intermiſſionis aùt remiſſionis inſtanti, & plenis manibùs, ùt volunt & ſuadent illuſtriſſimi viri *Mortonus*, *Piquerus*, *Junckerus* (*t*), *Tortus*, cet. Prædicatâ corticis Peruviani energiâ, in debellandis malignitatis caracteribus, ſic pergit *Haenius*; » ea cuncta ùt cortex efficiat, eum » & copioſiſſimè & dari diutiſſimè oportet : » docentibus id tùm aliorum tùm propriis obſervatis (*v*) ». Hâc methodo, ægrotos Noſocomii cœnobitarum pauperum Chriſti, meæ curæ commiſſos, feliciter tractavi.

Præſtantiſſima Peruviani corticis virtus febrifuga, ab omnibus celeberrimis Medicis cognita & promulgata fuit; hanc, præcipuè, repetitis obſervationibus firmârunt eximii in arte viri, *Morton*, *Sydenham*, *Richa*, *Torti*, *Mead*, *Huxham*, *Pringle*, *Werlof*, *Boerhaave*, *Wan-Svieten*, *De Haen*, (*x*) cet. minimè tamen adhùc conſtat,

---

(*t*) Sanè nuper ex ore præclari cujuſdam Medici audivimus, ſcilicet, quòd hunc corticem prodigè & ad uncias quotidiè dediſſet, nunquàm tamen ſiniſtrum effectum obſervaſſet; à parco autèm uſu mala illa conſectaria quæ per vulgus circumferuntut derivanda eſſe. *Junckerus, de legitimâ febrium corruptarum tractatione*, *p.* 27.

Experientia mea ad uſum largiorem in pernicioſis febribus eſt annorum quadraginta. *Tortus*, *Therap. p.* 165.

(*v*) Rat. med. tom. 1. part. 3. cap. 1.

(*x*) Corticem Chinæ, dicit *Haenius*, ſaluberrimum remedium eſſe omnium febrium, quas abigere & licet, & oportet. *Rat. Med. tom. 6. p.* 59.

apùd auctores & clinicos, utrùm cortex ille tanquàm ſpecificum contrà omnes omninò febrium ſpecies habendus ſit. Illuſtriſſimus *Maſdevall* Auguſti noſtri Regis Medicus, omni doctrinâ & experientiâ ornatus, compertum habuit, repetitiſque obſervationibus ſtabilivit febres omnes tàm inflammatorias quàm putridas, continentes, continuas, cet. Optimo cum ſucceſſu proffligari ſpecifico quodam (ex kinâ confecto); hancque utiliſſimam inventionem, ſuis indefeſſis laboribus debitam, publicam fecit, in nunciis Hiſpanicis menſis Martii anni 1785. Dico, generaliter, *ſpecifico quodam*, quià nondùm mihi notus eſt modus tùm præparandi tùm propinandi remedium illud; licèt, pro ſuâ benevolentiâ, clariſſ. *Maſdevall* cuidam Hiſpano Medico vices ſuas miſerit, ùt mihi notum faceret quidquid ſpectat ad illud ſuum ſpecificum remedium.

Præter corticem noſtrum, multa ſunt alia anti-febrilia remedia, frequentiſſimi usûs, & ab auctoribus prædicata, quæ recenſeri merentur; ùt v. g. ſalia varia tùm alkalina qualia ſal abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, cet. Tùm neutra ſeù media, qualia ſal ſalſum, ſal febrifugum ſylvii, ſal rupellenſe, ſal anglicanum, ſal glauberianum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ammoniacalia ſalia, ammoniacum ipſum multis experimentis laudatum; mercurius dulcis; crocus martis antimoniatus ſtahlii; chamomilla, chamedrys, millefolium; cortex ſalicis albi; cortex hypocaſtani, cujus tamen virtus dubia ex experimentis à ſagaciſſimo *Zulatti* in Noſocomio Patavino tentatis; cortices

fraxini, ceraſi ſylveſtris, juglandis, cet. Gentiana indica, caſcarilla, quaſſia amara *Linnæi*, & plura alia ex amaricantibus aromaticis, adſtringentibus, balſamicis: folia ruſci aculeati ſiccata & in pulverem redacta, ad doſim dragmæ unius antè acceſſionem exhibita, adversùs febres intermittentes feliciter adhibuit clariſſimus *Durande* Divionenſis Medicus: inter febrifuga percontari poteſt etiàm electricitas (*y*). Prætereà duo ſunt febrifuga Peruviano in regno ad uſum advocata; primum *Canchalagua* dictum, ex *Chili* regno adſportatur; ejus decoctum aùt amariſſima infuſio, optimum, adversùs febres, producit effectum. Secundum eſt decoctum ceraſorum quorumdam ſiccorum.

Concludendum tamèn eſt, inter tòt medicamina, nec unum quidèm dari quòd viribus corticem noſtrum aùt vincat, aùt tantùm exæquet. Si verò accidit ùt non æquè ſemper ſuccedat, illud, abſquè dubio, pendet vel ex mercatorum aviditate & fallaciâ, vel ex medentium incuriâ.

CAPUT II.

De Cardialgiâ.

PRÆTER viſcus cordis nomine propriè & ab omnibus inſignitum, veteres, indubitanter,

(*y*) D. *Cavallo* affirmat rarum eſſe febres primæ aùt ſecundæ electriſationi reſiſtere. *Vid. Medic. electr.*

os ventriculi ſuperius, cardiam, hoc eſt cor, nominârunt, tùm ob ipſius cùm corde vicinitatem, tùm ob exquiſitiſſimum quo donatur ſenſum; hujuſque partis dolorem, vel mordicationem, cardialgiam, quaſi cordis dolorem dicerent, appellârunt: quæ voces, ſeù loquendi formulæ, adhùcdùm in uſu ſunt.

Cardialgia, igitur, morbus apùd noſtrates familiaris, eſt triſtis & moleſtus oris ſuperioris ventriculi ſenſus, nùnc dolore, nùnc morſu, perpetuò autem anxietate viriumque impotentiâ ſtipatus. Hâc deſcriptione, ſat, ùt nobis videtur, diſtingui poteſt cardialgia ab aliis doloribus. » Nulla autem eſt pars, inquit *Galenus*, quæ vel adeò exactè ſentiat, vel principum partium utranque pro ſuarum affectionum modo perindè afficiat, atque orificium (ſuperius) ventriculi, qui ſtomachus appellatur. Si quidèm ſyncope, cardialgia, morſus, cet. hujus partis occaſione evenire ſolent, idque conſortii lege. Mirandum autem non eſt ſi ob oris ventriculi affectus, animalia maximis iiſdemque vehementiſſimis affectibus affligantur, cùm nimirùm pars illa per nervos quidèm cerebro, per arterias autem cordi, vicino ſibi, ſuas offenſiones communicet (z).

Fit magis affectus ille æſtatis tempore, & pendet tùm ab indigeſtione, ſcilicèt, ab humoribus vitiatis, corruptis, acrimoniâ præditis, in ventriculum congeſtis & viſceris illius os lædentibus; tùm à bilis portione quâdam in illud viſcus

(z) *Epitome Galeni op. lib. 2. pp. 326. 327.*

irreptâ, ibique morsum & dolorem excitante (*aa*).

Hinc cibi acres, ùt capsicus, cepa, allium, cet. qui in quotidianam escam vescuntur; substantiæ itidèm in putridam & acidam indolem degenerantes, ùt lardum, olera, cet. Hujus morbi causæ sunt. Intèr cibos etenìm, eos, quàm maximè ad pessimos morbos corpora parare scimus, qui putredini sunt propiores, aùt qualitercumquè degenerantes.

Oriri potest etiàm cardialgia, tùm ab aëris intemperie & noxiis qualitatibus, tùm à vermibus, tùm à flatibus, tùm à venenosis, tùm à spasmo, tùm ab animi pathematibus, tùm à vitio quodam organico, cet.

Curatio à nostratibus instituta in eo consistit ùt ægrotis præbeatur oleum amigdalarum dulcium cum *rhodomelite ex saccaro*; linimenta èx eodem oleo ventriculo applicantur; clisteres laxantes injiciuntur; non oblitis, si dolor urgeat valdè, paregoricis. Herba quædam, *Cullen* nominata, quæ, siccata, ex *Chili* regno nobis asportatur, mirabilis est efficaciæ in illo morbo, & frequenter ministratur cum successu.

Cùm verò, ùt plurimùm, à saburrâ, vel à pravo quocumque humore producatur cardialgia, apud Limanos; præcipua, meo saltèm judicio, in eo consistit indicatio, ùt materia peccans incidatur, diluatur & evacuetur; quod fieri potest

(*aa*) Cardiacus affectus stomachi vitium est, quod accidit, ubi humores pravi, rodentes & virulenti in ore ventriculi collecti fuerint aùt eò confluxerint. *Alexand. Trallian. de arte med. lib. 7. cap. 9.*

& debet præcipuè præparato quodam emetico in ſatis largâ aquæ quantitate diluto (*bb*).

Paregorica ex opiatis, in enormi etiàm dolore, non ſemper tuta ſunt, niſi evacuatâ materie, ùt ſæpè obſervavi.

Peractâ evacuatione, hæc præbeantur auxilia quæ ventriculi robur ſuſtinere aut intendere valent, intereàque humorum pravitatem, acrimoniam emendare, ſuccorumque corruptioni, degenerationi obſtare: in eo ſenſu intelligi debet præceptum illud *Hippocratis*, »anxietudinem, oſcitationem, horrorem, vinum æquali aquâ temperatum epotum ſolvit» (*cc*). Urgente cardialgiæ paroxyſmo, valdè confert panis vino benè diluto intinctus modicè ſumptus, *Varandæus, in Academ. Monſpel. quondàm Profeſ. & Decanus* (*dd*)..... Ideò laudant etiàm prò potu, ùt cruſta panis albi leniter torrefacta in vinum dilutum immergatur; deindè fortiter exprimatur, bibat colaturam. Poſſumus etiàm uti julepo Alexandrino ex ſucco granatorum vel limonum cum duplâ portione aquæ roſarum & ſacch. q. s. confecto (*id.*).

In qualitatibus verò eligenda ſunt alimenta quæ

(*bb*) Si cui ſinè febre cibi faſtidium, *oris ventriculi morſus*, tenebricoſa vertigo contigerit, & os amarulentum fuerit, hæc neceſſariam eſſe per ſuperiora purgationem indicant. *Hipocrates, aphoriſmorum, ſect.* 4. *aph.* 17.

A primarum viarum cruditatibus originem habens, cardialgia, per vomitum aùt mitigatur, aùt planè tollitur: *Nenter, fundamenta med. theoretico-pract. p.* 129.

Materia, niſi priùs mobilis reddita fuerit, inſufficientes & incompletos vomitus poſt ſe trahit, qui materiæ tantùm commovendæ, non verò excernendæ inſerviunt. *id. ibid.*

(*cc*) *Aphoriſmorum ſect.* 7. *aph.* 56.

(*dd*) *Tractatus de morb. ventr. cap.* 1. *de cardialgiâ.*

refrigerent & compeſcant iſtam humorum pravitatem, acrimoniam ; quæ leviter etiam aſtringant, ùt robur ventriculo concilietur ; aùt prætereà aliquandò detergant, ſi ſint abluendæ ſordes illi adhærentes. » Qui ergò, inquit *Alexander Trallianus*, pravos rodenteſque humores in ore ventriculi continent, his primum omnium illos cibos offerre convenit, qui, præterquàm quòd refrigerent, etiàm partem reſolutam poſſint confirmare. Itaquè probè refrigerant, corroborantque, tùm mali punici grana comeſta, tùm ſuccus eorum : adhæc mala non admodùm dulcia, ſed mediocriter aſtringentia, pira perſica, uvæ quæ auſterum frigidumque ſuccum obtinent, & panis ex aquâ frigidâ tepidâque ſumptus, *accedunt* : cet. (*ee*).

Mulieri cor, hoc eſt os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor. Huic polentæ pollen in mali punici ſuccum inſperſus & ſemel in die acceptus in cibo ſatis fuit ; *Hippocrates* (*ff*).

Cardialgiam, cum aliis accidentibus, ex terrore, ob bilem commotam, obſervavit *Platerus* (*gg*), quam evacuantibus præcipuè, intermixtis tamen antibilioſis, feliciter curavit.

Flores chamomillæ romanæ cardialgiæ ſpecificum dicit *Wedelius* (*hh*) ; ſed illud intelligatur de cardialgiâ quæ à flatibus.

(*ee*) *De arte med. lib. 7. cap. X.*
(*ff*) *2. epid. ſect. 2.*
(*gg*) *Obſervat. lib. 2. p. 413.*
(*hh*) Amænit. mat. med.

CAPUT III.

De Cholerâ.

CHOLERA, abuſivè cholera morbus, à noſtratibus *curſos y vomitos*, & ab orientalibus Indis *mordechiu* nominatur. Affectus ille, frequens admodùm & periculoſus, definiri debet immodica & præternaturalis ventris perturbatio, quâ humores & alimenta corrupta tàm ſupernè per os, quàm infernè per alvum ejiciuntur (*ii*), cum ventris ac inteſtinorum dolore vehementi, inflatione & diſtentione; cardialgiâ; ſiti; æſtu & anxietate; pulsûs celeritate ac frequentiâ, non rarò etiàm parvitate & inæqualitate; nauſeâ moleſtiſſimâ; ſudore; ubi verò malum in pejus ruit, crura & brachia contrahuntur; vires collabuntur & quidèm ad ſyncopem & animi deliquium; frigeſcunt extremæ partes; pulſus concidit; quæ demùm & ſimilia terrifica ſymptomata, præcipuè ſi ſimùl adſint, morte terminantur, & quidèm anguſto, ſcilicèt 24 horarum ad ſummum, ſpatio.

Choleram ſpecialiter dividit *Hippocrates* in humidam & ſiccam: humidam dicit cùm humo-

(*ii*) Choleram itaquè immoderatam eſſe perturbationem, quæ per alvum & vomitum propter ſtomachi ſubverſionem offenſionemque proveniat, intelligendum eſt. *Alexand. Trall. de arte med. lib. 7. cap. 14. de cholerâ.*

res aùt alimenta corrupta per os & anum ſimùl ejiciuntur; ſiccam verò, cum flatus tùm ſupernè per eructationes, tùm infernè per crepitum magnâ cum ventris perturbatione erumpere conantur (*kk*).

Cauſæ quæ, ùt plurimùm, morbum hunc producere valent, ab *Hippocrate* recenſitæ & prolatæ fuerunt, his verbis: « Cholericæ bilis » ſurſùm, ac deorſùm, eruptiones ex carnis » eſu, maximè ſuillæ crudioris, & ex cicere, » & ebrietati vini odorati veteris, & inſolatione, » & ex ſepiis, & locuſtis, & gammaris, & ex » olerum eſu, maximè porri, & ceparum, & » nucibus rancidis, inſuper & à lactucis coctis, » & braſſica, & rumicibus crudioribus, & à » placentis, ac dulciariis, & mellitis libis, & à » fructibus pomorum, & cucumere pepone, & » vino lacte miſto, & ervo, & polenta re» centi (*ll*) ». Si autem hæc omnia attentè conferantur cum noſtratium victu jàm ſuprà relato, evidenter patebit eaſdem cauſas choleram, apùd Limanos, producere, proindèque morbum illum, ùt plurimùm, ab ingluvie & ſaburrâ pendere; fomes igitùr hujus affectûs in ventriculo & inteſtinis ſtat; undè deducendum eſt quòd, in cholerâ, ventriculus & inteſtina primiter, cœtera verò corporis organa poſteriùs, ſeù per conſenſum afficiantur.

(*kk*) In cholerâ ſiccâ venter inflatur, & ſtrepitus inſunt, & dolor tùm laterum, tùm lumborum; nihilque alvus dejicit, ſed adſtricta eſt. Ità affectum, ne vomat, ſervato, verùm alvus ſubducatur; cet. *Hypp. de vict. rat. in acut. lib.* 4.

Eſt etiàm & cholera ſicca à ſpiritu flatuoſo ſuprà & infrà erumpente, idquè ſinè vomitu vel feceſſu. *Sydenham.*

(*ll*) *Hipp. lib.* 7. *epid. ſect.* 2.

Cholera, in Europâ, morbus ex epidemicorum familiâ, ex obſervationibus *Sydenhami* & omnium omninò practicorum, alio menſe quàm Auguſto non graſſatur, aùt ſaltèm vìx in priores Septembris hebdomadas evagatur, ſcilicèt, ad eam anni partem quæ æſtatem fugientem atque autumnum imminentem complectitur: ac, inquit *Sydenham*, ſi in aëre tùm aliquid quod ſpecificam hanc alterationem producit reſideret. Sed illud intelligendum eſt tantùm de cholerâ quæ ex humorum, bilis præſertìm, fervore ortum ducit; teſte enìm eodem *Sydenhamo*, *qui ab ingluvie aùt crapulâ*, qualis apud Limanos, *nullo temporis diſcrimine*, *excitatur affectus*, *ratione ſymptomatum non abſimilis*, *nec eandem curationis methodum reſpuens*, *tamen alterius ſubſellii.*

Affectus ille gravis & periculoſus, rariſſimè, noſtris in regionibus, per mortem terminatur; aſt citò proffligari debet, ne ruat in pejus (*mm*). Quod ad prognoſim attinet, inquit meritiſſimus Monſpell. olim Prof. *Varandæus*, cholera inter peracutos morbos recenſetur, ut potè quæ doloris acerbitate & excretionis vehementiâ ſubitam ſolet inferre mortem, attamen ſi ex aſſumptorum vitio pendeat, non ità debet terreri Medicus, quià ſæpè illis excluſis ceſſat affectus & ſenſim ægri reſtituuntur: peſſimus autem & omninò lethalis, quandò ad fœcum excretionem per os *ventum*

(*mm*) Quòd cholera ſanè acutiſſimus ſit affectus, ſyncopen inſignem, immodicamque virium reſolutionem inducens, omnibus in confeſſo eſt. Idcircò accuratè internoſci & celerrimè curari, meritò poſtulat. *Alex. Trall. de arte med. lib. 7. cap. 14. de cholerâ.*

eſt, accedente animi deliquio & extremorum perfrigeratione; huic igitur affectui citò & accommodatè perſpiciendum (*nn*).

Duo præ oculis maximè habenda ſunt, in curatione prædicti morbi, nimirùm, ne humores congeſti intùs coerceantur, neque vires labantur. Non illicò igitur ſiſtenda eſt evacuatio, nàm pravi & corrupti malum ingraveſcunt; & divus ſenex (*oo*), *in turbationibus alvi & vomitionibus quæ ſponte fiunt, ſi qualia oportet purgentur, confert*; ſi ergò fluxus ſatis copioſus ſit & cum ægri tolerantiâ, aùt ſaltèm vires non deficiant, neque cohibendus, neque ſtatim adjuvandus, ſed naturæ res aliquantulùm permittenda & ſymptomatibus tantùm occurrendum. Contrà dùm ſœvit morbus, dùm irritatio, anxietas, dolor, & ad excernendum conatus majores ſunt, tunc moliendæ dejectiones, ope diluentium, demulcentium, refrigerantium: in his circumſtantiis, Limani Medici copioſis ptiſanis refrigerantibus humorum acrimoniam temperant, infringunt, & irritationes, ſpaſmos compeſcunt. In hunc ſcopum, ægrotis præbeantur, & quidèm, ſi neceſſum ſit, ad ingurgitationem, aquæ pulli vel vituli, ſerum lactis, mucilaginoſa, gelatinoſa, ùt ſunt ptiſana ex decocto leviori cornu cervi parata, limonata, cet. Quæ omnia ſymptomatum ferociam compeſcunt, nec tamèn pravorum ſuccorum rejectioni obſtant, quìn potiùs evacuationi proſunt, humores diluendo & mobi-

(*nn*) *Varandæus de morb. ventriculi.*
(*oo*) Hipp. aph. ſect. 1. aph. 2.

flores reddendo; & hæc eſt methodus ab *Hipp.* præſcripta. His hauſtibus, tùm ad gratum ſaporem ipſis conciliandum, tùm ad efficaciam, addi poſſunt ſyrupi lactucæ, violarum, portulacæ, limonum, granatorum, berberidum, nympheæ. Valdè proſunt etiàm enemata repetita ex aquâ pulli aùt vituli, vel ex decoctis mucilaginoſis, gelatinoſis parata; ſicùt & fotus tepidè applicati. » Ità, inquit *Sydenhamus*, ventriculo inſigni liquoris quantitate ſæpiùs onerato, atque, ùt ſic dicam, ſubverſo, ac reiteratâ enematum injectione, humores acres vel foràs eliminantur, vel retusâ acrimoniâ ad debitam temperiem revocantur. »

Peſſimè, indubitanter, ſe gereret, ægrotumque dirè trucidaret is qui choleram evacuantibus tùm catharticis, tùm emeticis profligare vellet; tali enìm methodo, humorum impetus intenderetur, organorum functiones ſubverterentur, omniaque in pejus ruerent ſymptomata. A ſedantibus quoquè, & præcipuè à narcoticis ſicùt & ab adſtringentibus, in morbi principio, cautè abſtinendum; hæc nàmque humores acres, corruptos, cet. quorum rejectioni favere oportet, mediis in viſceribus ſiſtunt, ubì novos & concitatiores tumultus excitant, gangrænam ſæpè accerſunt, mortemque accelerant. Sic *Sydenhamus*, » ſedulâ mentis applicatione, & multiplici etiàm experimento edoctus, quod ſi hìnc acres iſtos humores, fomitem morbi, catharticis expellere conarer, idèm agerem, atquè is qui ignem oleo extinguere ſatagit, cum carthartici vel leniſſimi operatio omnia magis perturbaret, & novos inſuper excitaret tumultus: & ſi ex adverſo medicamentis

narcoticis aliisque adstringentibus in ipso statim limine primum humoris impetum compescerem, dùm naturali evacuationi obsisterem, & invitum humorem detinerem, æger, inimico visceribus incluso, bello intestino indubiè conficeretur ». Et alibi de narcoticorum noxis in cholerâ denuò agens sagaciſſimus idèm practicus; » ùt taceam, inquit, protracto in longitudinem morbo, præter periculum ex ejusmodi morâ, quâ in massam sanguinis tandèm humores vitiosi irrepunt, atquè mali moris febrim facilè accendunt, etiàm ægris graviſſimi mali tædium procreari (*pp*). »

Ast dùm morbus vires acquirit eundo; dùm ultrà debitos fertur limites; dùm, rejectis rejiciendis, alii quoquè humores in consensum trahuntur; dùm ex rejectorum copiâ, ex rejectionis duratione, ex symptomatum vehementiâ, ægri vires dilabuntur & metus est ne citò penitùs exolvantur; tùm frænandus est humorum impetus simùlque sistenda partium mobilitas; ad sedantia

---

(*pp*) Indicantur absquè dubio narcotica in evacuationibus nimiis, sed periculosiſſimum foret intùs retinere quod evacuandum est; igitùr non præscribantur nisi ipsorum utilitas apprimè deducatur ex naturâ morbi, ex quantitate & qualitatibus humorum quæ rejiciuntur, ex viribus; & nusquam, præprimis, præbeantur in initiis. *René D. M. M. mat. med. de narcot.*

Fit enim aliquandò ùt intempestivâ operâ vomitum in illo morbo cohibere satagentes, (sivè illud laudano fiat, sivè astringentibus medicamentis.) Eo cohibito, non minùs periculosam malorum catervam invehant. Humores enim acres corruptique, quorum exclusionem tantisper permittere oportuerat ut satis evacuarentur, hoc pacto repulsi, vires suas ac sævitiam in sanguine exercent, febremque accendunt, quæ ut mali moris & gravibus symptomatis stipata esse solet, ità, nisi propinato emetico, tolli vix potuerit, etiàm ægro jàm nequidèm vomituriente. *Sydenham, op. med. tom.* 1. *p.* 32.

igitùr, vèl etiàm ad narcotica propriè dicta, ſinè morâ confugiendum eſt; inter priora recenſeri debent varii liquores ætherei, oleum dulce vitrioli, aqua temperata *Baſilii Valentini*, liquor min. anod. *Hofmanni*, ſpiritus nitri dulcificatus, eſſentiæ aromaticæ, & ſimilia, ad guttas aliquot; inter poſteriora, ſyrupus narcoticus ex karabè, ſyrupus diacodii, laudanum liquidum à guttis quindecim ad viginti quinquè, in liquore quodam appropriato, putà, in aquarum cinnamomi, vel cariophyllorum, vel naphæ unc. 1. pilluiæ è cinogloſſo ad gr. V vel VI opium ipſum. Sed tunc, inter omnia adhibenda auxilia, palmam abſquè dubio præripit opii extractum longâ digeſtione paratum, juxtà methodum à peritiſſ. Pariſino pharmacopolâ *Baumé* deſcriptam, in eximio ſuo opere cui titulus eſt, *Elémens de Pharmacie* &c. Illud extractum opii herculeum dici debet præſidium in omnibus omninò doloribus, ſpaſmis, convulſionibus, & cujuſcumque generis motibus organorum inordinatis; vimque ſuam ſedantem exerit abſquè virulentiâ & igitùr abſquè nervorum offenſione ullâ, quod pluriès obſervavit amicus meus, hujuſce Academiæ Doctor *D. René*; præſcribitur autem illud remedium, à gr. ſ. ad gr. IV. & ultrà, ſensìm augendo doſin.

Etſi verò in ſuprà dictis circumſtantiis conveniant narcotica, tamen, dùm præſcribuntur, ſemper attendendum eſt ad monitum *Riverii*; » ſi magna ſit, inquit, virium exolutio, ùt ſæpiſſimè contingit, integra laudani doſis (ad gr. IV) non tuta eſt, ſed melius eſt gr. 1. vel 2. exhibere, & ſemel in die repetere, atquè etiàm bis, ſi res admodùm urgeat; ſic enim impetus humorum

cohibetur & naturæ dantur induciæ ùt eos concoquere & evomere queat ». Eandem doctrinam & quidèm cum majori cautione, in ſuis de mat. med. lectionibus profitetur *D. René* D. M. (*qq*).

Aliquotiès accidit ùt ad ægrum non accedat Medicus, niſi morbo ab aliquot horis vigente & jàm lapſis viribus; tùnc ad ſedantia citò recurrendum eſt. » At verò, ait *Sydenhamus*, diligenter eſt animadvertendum, quod ſi non acceſſerit Medicus, niſi poſtquàm æger vomitu ac dejectionibus ad horas aliquam multas continuatis, putà 10 vel 12 fuerit exhauſtus, & jàm frigeſcant extrema membrorum; hoc, inquam, caſu, omiſſis aliis quibuſcumque auxiliis, recto curſu ad ſacram hujus morbi anchoram, laudanum intelligo, confugiendum eſt. »

Conferunt etiàm, & præprimis, ſedantia, ſub finem curationis, cui, ut verbis utar *Sydenhami*, coronidem imponunt; organorum enim motus inordinatos, ſi qui ſuperſint, penitùs compeſcunt; prætereàque ſomno & quiete mirè refocillantur vires. » Et ſi quidèm ità tibi adparuerit, ùt nullum recrementum ex iis, quæ jàm in ventre corrupta fuerant, copioſum remanſerit, ſomnum ægris præcipere oportet, quietemque, & præcordiorum fotum ». *Alexander Trallianus* (*rr*).

(*qq*) In narcoticorum exhibitione, cautè attendat medicus ad doſim, nec temerè ultrà debitos progrediatur limites: nàm in narcoticis propriè dictis, punctum quoddam diviſionis exiſtit ferè ſenſibile, quo prætergreſſo, virtus eorum medicamentoſa, utilis, in qualitatem venenoſam, deleteriam mutatur: & prætereà, ut ingenioſè annotat *Junckerus*, *quod fieri poteſt per pauca, non debet fieri per plura. René, loco citato.*

(*rr*) *De arte med. lib. 7. cap. 14.*

» quod

« non tantùm exhibendum eſt (laudanum) urgentibus ſymptomatis , ſed etiàm ceſſantibus vomitu ac diarrhæâ manè & ſerò quotidiè repetendum , àt in minori doſi, donèc priſtinas vires æger ac ſanitatem tandèm receperit » : *Sydenham.*

Præſtant nonnunquàm , in cholerâ , cardiaca , roborantia ; quandò nempè vis vitæ opprimitur , nec ſufficiens eſt ad pravos humores excernendos , dejiciendos , morbique ſolutionem moliendam. « Porrò ſi arteriarum motus ad parvitatem lapſi fuerint , nec-non aſſiduè & frequenter micent arteriæ , ſudor circà frontem , & jugula , & quâlibet corporis parte ſtillatim effluat , alvi profluvium non ſiſtatur , & ventriculus adhùc evomat cum diſtentione , & animi deliquio ; parùm vini odorati & adſtringentis , aquæ frigidæ infundendum eſt : ut pro odore ſenſus excitetur , ob ejuſque potentiam roboretur , & corpus ob nutricationem recreetur : vinum enìm celeritèr ſurſùm petit , ut retrogradum humorum fluxum cœrceat : tenue verò oportet eſſe , ut facilè diffuſum naturæ ad ſanitatem recuperandum opem ferat ; validum quoquè , ut vires dilabentes fulciat , atque ſubſtineat ». *Aretæus* (*ss*).

Menthæ decoctum , vel ſolum , vel cum vino , *Alexand. Trallianus* (*tt*) ; ſudorifica , *clar.*

(*ss*) *De curat. morb. acut. lib.* 2. *cap.* 4.

(*tt*) Quod ſi vomitus perſeveret diutiùs , etiàm menthæ decoctum , ut ſaluberrimum medicamentum ipſis dandum eſt. Etenìm præterquàm quod ſtomacho illa grata ſit , etiàm naturalitèr ad hunc affectum accomodata eſt. Sìn autem vires labaſcant , & extremorum perfrigerationes , convulſionesque , & animi defectio

Doctor René (uu); ſuadent.

Sed, in illis caſibus, nullum, ex opinione jàm citati *Doctoris René*, efficacius datur cardiacum, quàm theriaca recens; quæ confectio, prætèr vim roborantem, quid habet narcotici, ſedantis: præſcribitur autèm theriaca, ad dragmam unam, in vino vel in liquore quocumque convenienti ſoluta.

Ad eundem ſcopum adhiberi poſſunt extùs linimenta, epithemata, cet. ex cardiacis, roborantibus, ſedantibus; ut ſunt oleum maſtiches, vel caryophyllorum, vel nucis moſchatæ; camphora in ſpiritu quodam ardenti vel aromatico ſoluta, emplaſtrum theriacale, allium contuſum, & ſimilia.

Suſpecta ſemper eſt ſanguinis miſſio in cholerâ (*xx*); invitâ auctoritate D. D. *Poupart Deſportes* qui operationem illam nimis fidenter proclamare mihi videtur (*yy*).

---

oriatur, ſalutare eſt etiàm vinum decocto admiſcere. Nàm vinum omnium maximè ſubitò & celeritèr vires collapſas refocillare poteſt: ac multos novi, ex ſolâ illius potione præter ſpem mortis periculum evaſiſſe. *Alexand. Trallian. de art. med. lib. 7. cap. 14.*

(*uu*) Conferunt etiàm ſudorifica in dejectionibus nimiis tùm per ſuperiora, tùm per inferiora; nonſolùm ob eorum virtutem roborantem, ſed quoniàm humores à centro ad circumferentiàm derivant, organicorumque motuum pravam directionem invertunt. *René, ma. med. de ſudorificis.*

(*xx*) Ceux qui mettent la ſaignée à tout, ne manquent pas de l'appliquer au *cholera*: il y a, à la vérité, quelques cas où il eſt permis d'en uſer, mais ils ſont très-rares; & ceux, pour le plus grand nombre, qui s'attribuent le droit de conduire les autres, ſont incapables de les diſcerner. *Encyclopédie, art. cholera morbus.*

(*yy*) La violence de ce ſymptôme obligeoit d'y apporter un prompt remède. La défaillance, la petiteſſe du pouls, & les

CAPUT QUARTUM.

De Dyſenteriâ.

ALVI dejectiones frequentes, cum ventris torſione & doloribus, cum vel ſinè ſanguine, cum vel ſinè febre, dyſenteriam conſtituunt.

Affectus autem ille ſic incipit, evolvitur, & progreditur, dum omnia & varia tempora ſua decurrit. Febriculâ quandòque corripitur ægrotans cum horrore, cui ſuccedunt calor plùs minùſve intenſus & febris augmentum : ſed hæc non ſemper obſervantur. Statìm ingens exurgit cruciatus, inteſtinorumque depreſſio, cum dolore & moleſtiſſimo viſcerum omnium quasì deſcenſu : alvus in principio cruda, aut mucoſa, aut bilioſa, & frequens, & acris, & ſtimulans ; indè ſubpinguis fit, &, per decurſum, modico cruore perfuſa : poſt hæc ſtrigmenta, interioreſve tunicæ inteſtinorum prodeunt excrementis cruentis, ulcerosâ ſanie fœdatis, purulentis miſtæ ; tandèm ipſa deteritur proditque, cum purulentâ inteſtinorum proluvie, caro, quæ veram eorum complet ſubſtantiam ; inter hæc

---

extrémités foibles, donnoient lieu d'appréhender que le malade ne ſuccombât ; c'eſt pourquoi il étoit à propos de répéter les ſaignées preſque coup ſur coup. *Hiſt. des Malad. de St. Domingue, p. 37, du cholera.*

etiàm aliquandò, per intervalla, cruor ſincerus manat : multus in ano dolor, multaque ac frequens deſidendi cupiditas ; cum utroque hoc, exiguum quid exit, protinùſque tormentum intenditur, ac rursùs poſt paulùm levatur. Dùm hæc vigent, appetitus proſternitur ; ſitis urget, urget & inſomnia ; febris accenditur ; lingua conſpurcatur ; vires cadunt ; urinæ, vel penitùs ſupprimuntur, vel in parvâ tantùm quantitate excernuntur ; tandèm premit teneſmus, ſæpèque ani prolapſus (zz).

Ab expoſitis, nitidè, nì fallor, apparet morbi hujus ſedem inteſtina eſſe, quæ, vi ſuâ, noxiam materiam expellere conantur. Dyſenteria, febris ſui generis in inteſtina introverſa, *Sydenhamio* videtur, calidos & acres ibì deponens humores, & impetu vaſa ſanguinea aperiens, dùm ſimùl inteſtina, ſuo niſu, hos expellere ſatagentia, mucum naturalem exprimunt. Ventriculus etiàm per conſenſum patitur.

Dyſenteriæ tempora vel ſymptomata varia ſegregatìm conſiderantes, eam in plurimas ſpecies diviſerunt auctores, ſcilicèt, in acutam, chronicam, benignam, malignam, putridam, bilioſam, inflammatoriam, lentam, epidemicam, ſporadicam, cet. De dyſenteriæ diſtinctione in rubram & albam, poſt *Hippocratem*, mentionem agit Illuſtriſſ. Doctiſſimuſque celeberrimi Monſpelienſis Lycei Profeſſor *Sauvageſius* (a),

(zz) Sedes autem procidunt (i. e. anus procidit) in dyſenteriis longis & ſinceris. *Hippocrates, prædict. lib. 2. caput 13.*

(a) *Noſolog. meth.*

rubram dicens dum punctis ſanguinis corrupti humores maculati ſunt ; albam verò cum dejectiones incruentæ ſunt, doloribus tamen & torminibus ſtipatæ.

His omnibus & aliis ejuſmodi dyſenteriæ differentiis, quæ ſecundariæ ſunt, altera & primaria præire debet hujus morbi diviſio in eſſentialem & ſymptomaticum, proùt nempè, vel ſolus cum ſuis propriis characteribus exiſtit, vel alterius affectûs comes eſt.

De dyſenteriâ eſſentiali tantùm dicturus, in præſenti ; vix quædam ſparſim de ſymptomaticâ proferam.

Dyſenteria æſtate & ſub autumni initio Limanâ in plagâ graſſatur, ibique, ex meâ opinione, a duabus præcipuis cauſis ut plurimùm producitur :

Prior eſt cœli ſubitanea mutatio, de fervido ſcilicèt in frigidum, cui mutationi, tàm peregrini, quàm exotici intempeſtivè ſeſe exponunt ; undè, inhibitâ vel repercuſsâ tranſpiratione, pravi oriuntur, ſubſequuntur effectus ; quod, tùm *Sanctorianis* experimentis & dogmatibus, tùm praxi quotidianâ demonſtratur : ſudor enim, ſivè humor perſpirabilis, partibus ſalinis, oleoſis, volatilibus ſcatet, quarum retroceſſionis frequentiſſimæ ſequelæ ſunt diarrhææ citò in dyſenteriam migrantes ob irritationem quam patiuntur inteſtina ab affluxu acris & pungentis materiæ, ob motûs periſtaltici augmentum, cet. Prætereà, cùm, æſtivo tempore, humores, propter ſudores copioſos, partibus balſamicis & fluidioribus ſpolientur, relictis

impuris, acribus, phlogisticis; si quis tunc, incautè, ad frigidam noctis intemperiem exponatur; sufflaminatâ exindè dictarum partium exhalatione, hæ, relatione quâdam organicâ, ad intestina plerùmque (*b*) feruntur; hìnc irritatio, hìnc symptomatum suprà descriptorum series, hìnc dysenteria.

Posterior hujus morbi causa est primæ digestionis vitium, a victu copiosiori, vel pravo, facilè corruptibili, ad acredinem vergente, cet. Ciborum, si in nimiâ quantitate assumantur, in ventriculo resolutio, elaboratio, aëre in fervido faciliùs non peragitur, proptereàque, illis æstuantibus in plagis, sobrietas admodùm convenit: cibis ingestis, cruditatum copiâ oneratur ventriculus, quæ, ob moram, acrimoniâ donantur, & deìn non ejiciuntur nisi cum doloribus, torminibus, cet.

Inter causas dysenteriæ, sed minùs frequentes, recenseri possunt etiàm humorum prava diathæsis; bilis effervescens vel degener; suppressæ evacuationes consuetæ; aër impurus & venenosis miasmatibus scatens, inquinatus, onustus; organica labes; tumores, congestiones, abscessus; cet.

Essentialis dysenteria, nostris in regionibus, ut plurimùm saburrosa est, aut catarrhalis, benignaque ac curabilis; aliquotiès tamen putrida

(*b*) Eadem perspirabilis materia ad alias partes retrocessa & congesta, varios producit affectus: nempè ad articulos ipsasve nervorum tunicas, fibrasque musculares, rheumatismum; majori quantitate ad sanguinem delata, febrem continuam, catarrhalem sic dictam, quæ non rara apud nostrates.

aut maligna obſervatur, tuncque gravior eſt ac dubii exitûs. Symptomatica verò lethalis. Nonnulli acuti vel chronici morbi, apùd noſtrates, terminantur dyſenteriâ, mortis prænuntiâ.

In genere, longus eſt & difficilis affectus ille: ſi tamen dyſenteriâ correptus ægrotans adhucdùm viribus firmus ſtat, rectèque & citò curatur, ad ſanitatem reddi poteſt; ſi verò invalidus eſt, & vehementer morbo extenuatur, ſi profundo veterequè ulcere labefactatur inteſtinum, medicinam omnem inanem eſſe meritò pronunciatur (*c*); ac tunc dejectio graviſſimè olet, eaque cruda, leviſque eſt, & ſubnigri coloris: ſæpè etiàm inter hæc plurimus ſanguis effunditur, (*Lommius*). Non minùs periculum eſt, ſi venter aſſiduè, & quieſcentibus & vigilibus profluit, ſimiliterque noctù & interdiù: cet. (*Idem*). Si tenuibus inteſtinis vera deteritur tunica, deſperata utiquè ægri valetudo eſt: verùm ſi craſſa tantùm ſic afficiuntur inteſtina, ſupereſſe ſpes vitæ poteſt; (*idem* (*d*)). Dyſenteriæ ſi quidèm

(*c*) Longus autem hic morbus redditur, laborioſus & lethalis: ac, ſi quidèm robuſto adhùc corpore curetur, effugiendi ſpes eſt; ſi verò jàm colliquato, ventreque penitus exulcerato, vitæ nulla ſpes eſt. *Hippocrates, de affectionib. ſect.* 1. *cap.* 7.

(*d*) Quibus autèm inteſtinis morbus inhæreſcit, ex ſequentibus cognoſcitur. — Si tenuia inteſtina afficiuntur, dolor altiùs circà umbilicum verſatur: inter hunc plùs intervalli & inter dejectionem ponitur: ſanguis & quicquid inteſtini detruditur, exactiùs alvi excrementis miſcetur: vehementiùs & crebriùs delirium incidit: ſitis urget & febris: ipſum autem ſtercus crudum profluit, malè olens, loturæ carnium ſimile, bilioſum, porraceum, varium, non ſinè multâ ventris torſione & multâ virium infirmitate quæ animi quoquè defectionem minetur: cet. (quæ dira ſymptomata

cum febre invaſerint, aut variis alvi egeſtionibus, aut cum hepatis inflammatione, aut præcordii, aut ventris, aut quæ cum dolore fuerint, aut cibos intercipiunt, ſitimque inducunt; hæ omnes malæ ſunt, & qui ſanè plurima horum malorum habuerit, citiſſimè peribit; cui verò pauciſſima talium adfuerint, huic plurima ſpes eſt: cet. (*Hippocrates* (*e*)). Dyſentericis vomitus bilioſus in principio malus eſt: (*idem.*) Si dyſenteriâ laboranti, veluti carunculæ dejiciantur, mortiferum: (*idem* (*f*)).

Sub duplici aſpectu curationem dyſenteriæ proſpiciunt Limani Medici (*g*), pro ut ſcilicèt a digeſtionis vitio pendet morbus, aut a ſuppreſſâ perſpirabili evacuatione. In primo caſu, præ oculis habent humores acres corrigere, lenire, ut inteſtinorum labes, ulceratio præpediantur; materiæ corruptæ excretionem

---

morte terminantur.) — Aſt ubi craſſa inteſtina morbum ſuſtinent, (qui caſus tutior faciliorque ſuperiore eſt.) Stercus ſincerum, multum, denſum, cruentis reſperſum guttis, & cum flatu prodit, nonnunquàm etiàm ſpumoſum: ſemper autem quædam hic pinguia miſcentur, ipſeque ſic jungitur cruor, ut his particulatim ſupernatet, non autem totus totis veluti immerſus temperetur, idemque ut primùm quis doluit, protinùs ſequitur, primâ propè alvo redditur. *Lommii opuſcul. aureum*, *lib.* 2, *de Dyſent.*

(*e*) *Prædict. lib.* 2. *cap.* 13. In longis inteſtinorum difficultatibus, cibi faſtidium malum, & cum febre pejus. *Idem*; *Aphoriſmorum ſect.* 6. *aph.* 3.

(*f*) *Aphoriſmorum*, *ſect.* 4. *aph.* 26.

(*g*) Illuſtriſſ. Dom. *de Laroca* Limanæ clinicæ Medicinæ decus, Regii Divi Andreæ Noſocomii primarius Medicus, venerandi patris mei olim irreparabilis propè ſalutis verè reſtaurator, hanc ſequitur medelam, ut, cum illo in conſilium advocatus, ſæpè obſervavi, gratoque animo recordor.

minimè cohibere ; naturæ vires fovere. Igitur, ſi plethora non adeſt aut magna inflammatio, ſtatim ad oleoſa, mucilaginoſa intùs exhibita ; ad linimenta, ad cataplaſmata, ad clyſteres laxantes confugiunt : juſcula ex pullis gallinaceis additis herbis refrigerantibus præbent : mirabili cum ſucceſſu decoctum album *Sydenhami* & clyteres ex lacte, vitellis ovorum & butyro miniſtrare queunt : multùm prodeſt etiàm orizæ decoctio cum vel ſine extremis ovium. Hoc modo excretione corrupti humoris adjutâ, decoctionem plantaginis, portulacæ, addito ſyrupo granatorum aut myrtillorum exhibent. Quibus propinatis, ad triplicem infuſionem ipecuanhæ radicis (*h*), tanquàm ad ſacram ancoram, deveniunt ; poſt cujus exhibitionem, ſi morbus in augmentum pergat, ad opium progrediuntur : purgantia, ut morbo noxia, & adſtringentia, & rheum torrefactum & mirobolana itidèm torrefacta, rejiciunt.

In poſteriori verò caſu, materiæ perſpirabilis ſuppreſſam evacuationem revocare conantur ope diluentium, incidentium, diaphoreticorum, cet.

Inſufficiens forsàn & coacta nimis videbitur hæc medendi methodus ; igitùr hanc evolvere & dilucidare non abs re erit.

Ut rectè inſtituatur & peragatur dyſenteriæ curatio, attendere debet Medicus, tùm ad hu-

(*h*) Quam noſtrates, cùm in Peruviâ creſcat, Peruanæ aut Cartagenæ radicis nomine donant.

morum vitium, tùm ad dolorem & inteſtinorum laſionem, tùm ad debilitatem.

Vitiari autem poſſunt humores, vel in quantitate, vel in qualitatibus; ſi in quantitate, conſiderandum eſt utrùm humorum copia pendeat a ſuppreſſo quodam aſſueto vel prævio fluxu, ut ſunt v. g. ſudores, cet. an verò ſit abſolutè nimia: in primo caſu, revocari debet, ſi fieri poteſt, fluxus ſuppreſſus, vel ſaltem ſuppleri evacuationis ſpecie quæ quandam cum illo habeat analogiam: in ſecundo caſu, ſi jàm à naturâ molitæ excretiones ſufficiant, & fiant cum bonis ægri rebus, ipſis tantùm favere, diluentibus, demulcentibus, cet. convenit (*i*); ſecùs, ad evacuantia propriè dicta recurrendum.

Dum verò humores in qualitatibus vitiantur, duplex medenti aperitur via per quam ſimùl incedere debet, vel, ut accuratiùs loquar, duas ſimùl amplecti debet indicationes clinicus; humores nempè noxios eliminare, & ipſorum degenerationi, corruptioni obſtare: priorem ſcopum adimplent purgantia, ſed, ut ſuprà dictum eſt, ſi natura ſibi ipſi ſufficiat, propriis viribus committatur, cet. Secundum ſcopum adimplent correctiva, quæ tamen ſelectivè adhiberi debent; ſcilicet, in degeneratione acrimoniosâ præbeantur diluentia, demulcentia,

(*i*) Et ſi quidèm febris expers fuerit (dyſenteria) ex alvo quidèm unguinoſis, pinguibus, dulcibus, ac liquidis, quæ inſunt ſemper educito. *Hipp. de affect. ſect.* 1. *cap.* 7.

mucilaginoſa, gelatinoſa, oleoſa (*k*), gummoſa, cet. in degeneratione bilioſa, antibilioſa, amara, cet. In degeneratione putridâ, antiſceptica, cet. in humorum ſpiſſitudine, incidentia, cet.

Poſitis circumſtantiis in quibus purgantia indicantur, emetica & cathartica in uſum advocari poſſunt, ſed non indiſcriminatim; magis enim proſunt emetica & potiori jure adhibentur, cum adſunt nauſeæ vel vomendi conatus; cum eliminenda materies circà ventriculum & inteſtina ſuperiora hoſpitatur (*l*); cum hæc eadem materies valdè partibus adhæret, &, repetitis a ſtimulo emetico concuſſibus, adauctâ organicâ vi, mobilior reddi poteſt; cum neceſſum eſt ut invertatur motus inteſtinorum periſtalticus vitioſè adauctus; cum tandem adhùc valent vires. Inter emetica, palmam facile præripiunt ipecacuanha & tartarus emeticus vel ſimùl vel ſeorsìm data: prior ut dyſenteriæ ſpecificum habetur; poſterior verò priorem viribus adæquat, imò quandoquè ſuperat. Ad hæc accedit vitrum antimonii ceratum quod multi tanquàm mirabile anti-dyſentericum proclamarûnt, àn meritò?

Cathartica conducunt in dyſenteriâ, cum excretiones à naturâ molitæ non ſufficiunt ad humores noxios & corruptos penitùs educen-

---

(*k*) Oleum lini, in dyſenteriâ, ob lenientem & ſanantem vim, inſigne eſt. *Wedelius, amœnit. mat. med.*

(*l*) Vomitorium ſi adhibere conſultum videatur, fiat hoc viribus conſtantibus, in initio morbi & ubi juſta cruditatum in ventriculo hoſpitantium ſuſpicio ſubeſt. *Neuter, fundam. Med. theoretico-pract. de Dyſ. p.* 215.

dos ; præprimis si materia morbifica in intestinis residet & non adsunt nauseæ , vomendi conatus , cet. Ast inter cathartica , mitiora tantùm seu eccoprotica præbeantur , ut putà cassia , tamarindi , rhabarbarum , & similia ; sed non indifferenter , nam unum alio preferre necessum est , pro circumstantiis. Sæpè etiàm paregorica purgantibus admiscere , vel alterutraque alternatìm exhibere oportet ; quià purgantia vel leniſſima humores commovent , tumultus excitant , & tormenta pariunt vel intendunt.

Non minùs attendendum ad dolorem & torsionem ; sæpè enìm , hoc solo symptomate , perennat & quasì fovetur dysenteria , quæ tunc solis sedantibus & narcoticis debellari debet ; his nempè obtunditur partium sensibilitas. Sed hìc in memoriâ revocanda sunt quæcumque jàm dicta fuere de narcoticorum exhibitione , in capite de cholerâ. Ob vim quam habent opium & ejus præparata sudores movendi , præcipuè conveniunt utiliterque ministrari possunt opiatica in dysenteriâ quæ a suppressâ transpiratione natales ducit. Adversùs dolorem conducunt etiàm diluentia , edulcorantia , cet. Fomenta a scrobiculo cordis ad pubem usque applicata & constanter renovata dolorem sæpè mitigant ; idem agunt repetiti clysteres emollientes , laxantes , cet. (*m*).

Lædi possunt intestina inflammatione , erosione , ulcere , gangrænâ. Inflammationi succurritur san-

(*m*) Et si dolor detineat , partes sub umbilico calidâ multâ lavato. *Hippocrates , de affect. sect.* x. *cap.* 7.

guinis miſſione quæ tamen niſi parcè admodùm & cautè inſtitui debet (*n*), diluentibus (*o*), demulentibus, incraſſantibus (*p*), emulſionibus, lacte amygdalino, ſero lactis, clyſteribus, fomentis, cet. Eroſioni & ulcerationi auxiliatur detergentibus, vulnerariis, balſamicis, traumaticis: gangrænæ, antiſcepticis & præcipuè cortice noſtro: cet.

Non infrequenter a laxitate inteſtinorum ſeu debilitate quâdam peculiari & organicâ pendet vel fovetur dyſenteria, tunc proſſliganda, præmiſſis præmittendis, tonicis, roborantibus, ſubamaris, ſubadſtringentibus, rheo, myrobalanis, kinakinâ, ipſâmet ipecacuanhâ, cet. In illo caſu, mirè quandoquè prodeſt *ſimarrubæ* cortex, in quo demulcens virtus cum roborante tonicâ conjuncta eſt; clar. *Juſſieu* (ut videre eſt in actis Acad. Scient. Paris, anno 1729) in dyſenteriâ quæ anno 1718 Pariſiis graſſata eſt, neque purgantibus aut adſtringentibus cederet, imò ab uſu ipecacuanhæ exacerbabatur, ſalutarem multis cum experimentis deprehendit; quæ corticis

---

(*n*) Dùm adeſt fluxio inflammatoria, venæ ſectiones partitis vicibus celebratas & repetitas ſuadet illuſtriſ. Monſpel. Univerſit. cancellarius *Barthez*, præmiſſis tamèn conſiderationibus ex pulſu.

(*o*) Optimè ſibi ceſſiſſe, in illius morbi curationem, methodum illam quâ liquoris diluvio ſubmerguntur dyſenteriæ, profitebatur, juxtà *Sydenhamum*, Doctor *Butler*.

(*p*) Notandum verò eſt hunc uſum incraſſantium per mechanicam inſignem eſſe, quòd parietes & membranulas integunt, adhærendoque oblinunt, v. g. in dyſenteriâ, ut ab acrimoniâ humorum, bili, vel acidis aliis impeti rodique ità non poſſint, non aliter ac corticibus arborum defrictis & deraſis ceram emplaſticam obducere ſolemus, quæ inſtar corticis ſit. *Wedelii, amœnit. mat. med.*

ſimarubæ efficacia multis aliis auctoritatibus, ad noſtra uſque tempora, firmata eſt : lignum *Simarubæ* eâdem virtute pollere aſſerit feliciſſimus hujuſce urbis practicus D. *Farjon*, ſed in gradu inferiori. Eſt nobis, ex *Haënio* & aliis, in diarrhæis ac dyſenteriis a laxitate oriundis, excellens remedium lyſimachia vulgaris, flore purpureo, dicta *Tournefortio* ſalicaria, *Linnæo* autem lithrum ſalicaria : dùm enim, inquit *Haënius*, dato priùs purgante, dragma una vel quatuor ſcrupuli pulveris hujus plantæ manè ac ſerò dantur, & morbus magis a laxis inteſtinis, quam a ſordibus originem ducat, prætereàque nunquàm ex nimiâ collectione putridâ, ulcere inteſtinorum, nec alicujus viſceris tabitudine, ortus ſit, intrà 3. 4. dies curatur perfectè, ſi recens eſt; paulò verò longiore tempore, ſi eſt diuturnior..... Idque etiàm in diarrhæis ac dyſenteriis olim a causâ quâvis aliâ productis, jàmque, causâ priore devictâ, a debilitate ſuperſtite poſtmodùm continuatis. Alkali volatilis uſus in dyſenteriâ albâ laudatur à D. *Duplanil*, in verſione Gallico idiomate conſcriptâ operis eximii practici angli *Buchan* cui titulus eſt, *Médecine domeſtique* (*q*).

Si hic morbus diutiùs excurrat, adeò ut omnis ejus vis in rectum inteſtinum decumbat, cum aſſiduâ deſidendi cupiditate; diæta analeptica præbeatur, & liquor cardiacus aliquis pro libitu inſtituatur, ut reſtaurari poſſint vires,

(*q*) *Tom. 3. p. 4. ad notam.*

quibus redeuntibus, teneſmus ſpontè ſe proripit, (*Sydenhamus*). Dum morbus ſic protrahitur, non rarò apùd nos accidit ut acrimonia dyſenterica ſphincteris laxationem inducat, quæ laxatio a noſtratibus *Vicho* nominatur: huic ſymptomati occurrunt Limani Medici enematibus terebinthinatis vel infuſione corticis Peruviani & olivarum viridium acuatis: quæ ſi non ſufficiunt, ex aquâ vitæ cum pulvere nitrato & cortice citri clyſteres demùm injicere commendant. *In inveteratis alvi fluxibus, dyſenteriâ, teneſmo, relaxatione ani, cet. Excipiatur per inferiora vapor terebinthinæ prunis ardentibus injectæ, & ſanabuntur.* (*Baglivius*).

In dyſenteriâ malè curatâ, dolores aliquandò ægrum ad annos aliquot diſcruciant: in hoc caſu, phlebotomia repetita priſtinam ſanitatem reſtituet. (*Sydenhamus*).

In dyſenteriis inveteratis, à fluxione congeſtâ valdèque partibus adhærente & parùm mobili provenientibus (abſquè tamèn inflammatione nec inflammationis metu) revellendi gratiâ, veſicantia & cauteria ad viciniam partis affectæ admota ſuadet ſagaciſſimus Monſpel. Profeſſ. D. *Brouſſonnet*. Sed, ut mihi videtur, in illis circumſtantiis, prudentis eſt Medici, veſicantia ex vegetabili regno præferre; quid enim habent ſuſpecti veſicantia ex cantharidibus confecta ſeu veſicantia propriè dicta, nec ſaltèm admoveri debent niſi procùl a viis urinariis, ob vim cantharidum illis organis infenſam.

Dum, vel propter diuturnitatem morbi, vel propter ſymptomatum vehementiam, ægri vires

dilabuntur; ad methodum roborantem in præcedenti capite deſcriptam confugiendum eſt.

Pro coronide ſit hæc *Baglivii* ſententia; *cave in curâ dyſenteriæ, a nimiâ remediorum farragine; pauca ſint & ſimplicia.*

CAPUT QUINTUM.

De hydrope.

SERI extravaſatio ipſiuſque collectio & ſtagnatio in variis corporis partibus cum earumdem diſtentione, hydrops nominatur, & a Limano vulgo *opilation.* Eſt autem hydrops alius univerſalis, alius particularis. Univerſalis, in totum ambitum corporis per textum cellularem ſe diffundens, anaſarca dicitur; particularis verò varia ſortitur nomina pro variis affectis partibus, sic dùm infimam corporis cavitatem ſeu interiora abdominis occupat, aſcites vocatur; ſic etiàm hydrocephalus, hydrothorax, hydrocele, cet. Proùt in capite, thorace, ſcroto, cet. Humoris fit colluvies.

Inter varias hydropis ſpecies, frequentiores in praxi occurrunt anaſarca & aſcites, quibus exindè hydropis proprium nomen peculiariùs conceditur.

In anaſarcâ, ſeu *aquâ ſubtercus*, corporis univerſalis habitus æquabiliter tumidus ad nitorem uſquè cutis, mollis, laxus, frigidus, ac pallidus eſt,

eſt, idemque enervis ac languidus, & vel minimis laboribus ſufferendis impar ; tument maximè tibiæ ac pedes præſertim veſperè, & poſt exercitationem, aùt quùm diù declives fuerunt hæ partes ; tumor is, ſi digito prematur, foveolam, impreſſi digiti veſtigium, aliquantiſper retinet ; accedit ut plurimùm febris lenta, pulſus undoſus, parvus, frequens & inæqualis ; appetitus languens ; reſpiratio difficilis, præſertim poſt paſtum ; ſomnus profundus, ſed anxius & vires non reficiens ; alvus cruda ; urinæ albæ, tenues, aquoſæ, cet. His nonnunquam jungitur apùd noſtrates ſymptoma quoddam peculiare, moleſtus nempè oris ſuperioris ventriculi ſenſus, undè morbus hic vulgò dicitur *mal d'eſtomago*, & ſub illo nomine deſcriptus fuit a R. P. *Labat* (*voyage en Amérique*), a D. *Chevalier* (*Des maladies d'Amérique*), & aliis ; aſt nomen illud vulgare ineptum eſt, ut rectè pronuntiavit *Sauvageſius*, cùm morbus ſit vera anaſarca.

Aſcites abdominis tumor eſt ab humore aquoſo intrà cavitatem ejus contento. Aqua tumorem hunc efficiens, interdùm ad *diluvium ingens* & quantitatem vix credibilem accreſcit : ſemèl vidit *Williſius* doliolum 15 *congiorum* (*r*) capax, aquis feminæ ab hydrope defunctæ exemtis impletum. In aſcite autem abdomen intumeſcit cum quodam gravitatis ſenſu, &, ſi premendo ſuccutitur, ſonum collectæ per-

(*r*) Quod adæquat *pintas pariſinas* circitèr 52, vèl lib. 104 expondere gallicè dicto, *poids de marc*, cujus libra quælibèt in unc. 16 dividitur.

motæque intùs aquæ præbet, qualis ab utre non omninò aquæ pleno redditur; qui ſonus etiàm exauditur dùm ægrotans in lecto decumbens ad alterutrumve latus convertitur, tùnc enìm fit humoris delapſus indèque tumor & fluctuatio ad locum declivem, i. e. ad latus in quo ager decumbit; quæ tamen ſigna vel minimè conſpicua fiunt, vel ſaltèm obſcurantur cum totum abdomen jàm ſero repletum & valdè diſtenſum turget. Non ſemper & ex toto humor intrà cavum abdominis includitur & quasì incarceratur in aſcite, ſed ejus pars aliqua & in ſcrotum, & in femora, & in pedes, per textum cellularem dilabitur, præcipuè versùs veſperam vel poſt exercitationem: partes autem ſuperiores corporis macie quasì conſumptæ liqueſcunt & extenuantur; facies pallida fit; premunt dyſpnœa, anxietas; appetitus decidit; urget ſitis, ferè ſemper vehemens, nonnumquàm immodica; pulſus parvus, frequens, ſubdurus, atque tenſus eſt; urina pauca, craſſa, rubicunda cum copioſo ſedimento ejuſdem coloris: quandoquè, in peſſimo nempè decurſu morbi, ſuboritur febricula quædam hectica, a corrupto intùs humore; pedes maculis lividis & veſiculis obſiti ſunt, ex quibus apertis ſerum effluit ſuâ acredine partes rodens, undè prodeunt ulcera mali moris ut plurimùm inſanabilia.

Anaſcarca nonnumquàm aſcitis comes eſt, amboque ſimùl eumdem ſubjectum diſcruciant.

Hydrops, tùm aſcites, tùm anaſcarca, Limanæ plagæ perſæpè corripit incolas.

Ad hydropem accedit proximè cachexia,

apùd noſtrates etiàm non infrequens, quæ quidèm ab anaſarcâ non differt niſi ratione gradûs, cùm ſit cachexia flaccidus, pallidus & ſubtumidus corporis habitus, a ſeri & lymphæ intrà textum cellularem effuſione & ſtagnatione, ac vis tonicæ remiſſione, abſque tamen aliis ſymptomatibus anaſarcam concomitantibus.

Inter cauſas quæ hydropem, apùd noſtrates, producere valent, præcipuè recenſeri debent cœlum & alimenta in qualitatibus noxia, exercitiique defectus. Limana etenim atmoſphæra cùm jove humido & nebuloſo ferè perpetuò ſordeſcat, ac proindè perexiguâ vi elaſticâ gaudeat, nil mirùm quòd ſolidis humani corporis partibus flacceſcentiam, fluidis verò inertiam ac velutì lentorem quemdam afferre ſoleat: undè magna ferè perpetuò exurgunt incommoda; in quibus removendis, nil ſanè præſtantius foret quàm exercitium moderatum, quo humorum & ſpirituum motus excitarentur atque augerentur, ut per canales ſuos uberrimè poſſent decurrere, & ſimùl reſtituto organorum debito tono, coctiones, ſeparationeſque in viſceribus & reliquis corporis partibus, juxtà naturæ leges, inſtituerentur: aſt noſtratibus in deliciis eſt vita deſes & otioſa; & cùm prætereà cibos tùm nimis aquoſos vel pravos in epulis copiosè veſcantur, his tribus, ſcilicèt cœlo, vitâ, victu, in unum coeuntibus, neceſſariò ſequuntur facultatis digeſtivæ & aſſimilatricis læſio, ſanguinis & aliorum humorum depravatio, fibrarum & indè organorum atonia, tandèm hydrops.

Inter cauſas hydropis percontari quoquè me-

rentur materia ſcabioſa, herpetica, rheumatica retropulſa; ſuppreſſi fluxus conſueti; nimiæ dejectiones alvinæ; immoderatæ evacuationes præſertim ſanguineæ (s); viſcerum infarctus, obſtructiones, tumores, skirrhi; cordis & arteriarum majorum polypi; morbi acuti nonnulli in longum protracti; febres intermittentes, quartanæ ſpeciatim, contumaces; ſcorbutus itidèm inveteratus; liquorum ardentium, ſpirituoſorum uſus largior; veneris abuſus & alia. Uno verbo, præter hæmatoſim vitiatam, anſam hydropi præbere poſſunt quæcumque vel ſolida ultrà-modum relaxant; vel vaſa obturant aut corrugant nimis, ità ut ſuis fungi nequeant muniis. Hydropem hæreditariam ſemel obſervavi.

Omnis ætas, ſexus omnis hydrope corripitur; feminæ tamen huic morbo magis ſunt obnoxiæ quàm viri; magis etiàm ſenes, præſertim decrepiti.

Facilè dignoſcitur hydrops, vel oculis nudis, vel ope tactûs proceſſu quodam omnibus noto. Aſcites ab anaſarcâ ſolo aſpectu diſtinguitur. Aſt præter aſcitem ſeu hydropem abdominalem propriè dictum, in quo ſcilicèt liquidum effunditur intrà cavitatem peritonæi, dantur aliæ quædam hydropis ſpecies in abdomine involutæ quæ cum aſcite primo intuitu quid habent ſimile, quæque tamen ab eo propriis quibuſdam

(s) Ferè autem eum aquâ repletum iri timor eſt, cum ſanguis ubertim ſuprà infràve erupit, itemque febris acceſſit: ex quo caſu vix quiſquam evadit *Hipp. prædict. lib.* 2, *& Lommius, Medicinal. obſerv. lib.* 2°. *p.* 202, *opuſc, aur.*

caracteribus sàt facilè distinguntur ; hæc sunt hydrops cisticus vel saccatus , & tympanites. Fit hydrops cisticus quandò intrà cistidem coacervatæ includuntur aquæ : in illo venter æquabiliter non tumet , sed peculiaris adest tumor circumscriptus qui clinicum explorantem non fugit , quique præcipuè apparet in anteriori abdominis parte : faciliùs respirant ægri quàm in ascite , tussi non anguntur ; urinæ solita excretio adest ; pedes lentissimè fiunt œdematosi ; tandem satis diù nullum aliud ab ægrotantibus persentitur incommodum præter illud quod exurgit ex volumine ventris adaucti. In tympanite abdomen non aquâ sed flatibus impletum turget , & , dùm percutitur , instar tympani resonat ; pulsus est plenior ac durior quàm in ascite ; in vario decumbendi modo ventris forma non mutatur , nec in eo persentitur fluctuatio ; æger ad latera levis est ; cet. Aliquandò tympaniti jungitur ascites , & aqua in ventre cum spritu flatulento turget.

Ascites longè frequentior est quàm anasarca, sed hæc curatu facilior quàm ille. Cæterò ancipitem hydrops uterque in Peruviâ habet eventum , in illâque regione , sicut in quâcumque aliâ , varia institui debet prognosis , pro diuturnitate , pertinaciâ , causis , symptomatibus morbi ; pro ægroti viribus , ætate , temperamento , sexu. « qui aquâ intercute detentus est & servari volet , inquit *Hippocrates* (*t*) , eum robustis

(*t*) *Hippocrates loco citato.*

viſceribus & contentis viribus eſſe convenit, ſimùlque ſuaptè naturâ facilè concoquere, & benè ſpirare, ſinè dolore eſſe, totumque corpus æqualiter calere, neque extremis partibus eſſe colliquefactum; præſtat namque potiùs extrema tumefacta eſſe, etſi optimum eſt nihil horum adeſſe. Verùm tùm mollia, tùm gracilia extrema eſſe opportet, ventrem contactu mollem. At neque tuſſim (*u*), neque ſitim adeſſe convenit; neque linguam, cùm aliàs, tùm ne à ſomno quidèm, inareſcere. Cibos autem ſuaviter aſſumere, ac ubì abundè comederit, nihil affligi. Ventrem quoquè medicamentis celeriter moveri, aliàs verò mollia & figurata excernere. Urinam in tranſitu pro inſtitutâ victûs ratione, & vinorum mutationem ſentire. Si horum omnia vel plurima habeat, ſpes eſt ùt evadat. In quo verò nihil horum ineſt, ſed contraria obſervantur, deſperatum hunc eſſe ſcito. Qui autem pauca horum habuerit, quæ bona eſſe dixi, huic exigua ſpes ſupereſt. » Hydropicorum curationes, dùm fiunt, *Deorum* miniſterio tribuit *Aretæus* (*x*), cujus in hoc opinio, ut mihi

---

(*u*) Hydropicis tuſſis ſi ſuperveniat, malum *Hipp. aphoriſm. ſect.* 6, *aph.* 35. — Si hydropicum tuſſis habeat deſperatus eſt. *Idem*, *ibid. ſect.* 7, *aph.* 47. Neque verò quùm aliâ occaſione fit hydropico tuſſis, ſignum eſt exitioſum, ſed quùm morbi ratione. Ubì enìm in tali affectione aquoſa humiditas in tantùm creverit, ùt jàm aſperas arterias occupet, deindè tuſſis ſuperveniat; periculum ne haùd ità multò poſt homo ſuffocetur, imminet.

(*x*) Aqua inter cutem qua Græci hydropa vocant, injucundum aſpectu vitium eſt, & tolerata difficile, ab ipſo enim perpauci liberantur, idque felicitate quâdam ac *Deorum* potiùs quàm artis auxilio. *Aretæus de ſign. & cauſ. diuturn. affect. lib.* 2.

videtur, ultrà debitos fertur limites. Gravis equidem, utplurimùm, hydrops qui per se incipit, & graviſſimus qui morbos alios tàm acutos quàm chronicos, quartanam præſertim ſævam & pertinacem, concomitat. Qui a vaſorum majorum infarctu, putà cordis & arteriarum polypi, cet. producitur, exitium minatur. — Hydrope detento, ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſolvitur morbus (*Hippocrates* (y).) — Poſt aquam intercutem, ſi multa urina, & craſſa feratur, multùmque in eâ limoſi ſubſideat, & cum impetu erumpat, humorem illum intercutaneum effluere poſſe ſperandum eſt. Si tenuis autem, ſubſidentiâ carens, paucaque urina exeat, aquam intercutem auget fovetque. (*Aretæus* (z).) — Securior cenſetur hydrops qui lienis, quam is qui jecinoris ſequutus tumorem eſt. (*Lommius.*) — Tutiùs laborant hi quibus magni modò fiunt tumores modò rursùs oculuntur. Verùm decipit ea ſæpè res ægrotos, penitùſque facit ut curationes negligant Medicorum, ac pereant, fiduciâ ſecundæ valetudinis falſi. (*Poſt Hippocrat.*, *Lommius.*) — Si hydropici remediorum efficaciâ ſanati in eundem affectum recidant, ferè ſunt deſperati. (*idem.*) — Quandò cum hydrope febris hectica adeſt cum maculis lividis, ulceribus mali moris in cruribus, de ægro conclamatum eſt. (*id.*) — Cuicunque aſcitico facies plumbea obſervatur, mors ſtat in lecto. (*id.*)

(y) Aphoriſm. ſect. 6, aph. 14, & coac. prænot. ſect. 3, cap. 7, & de judicat. cap. 7.

(z) De cauſ. & ſign. diuturn. affect. lib. 1, cap. 13.

Nullus forsàn affectus medentis artem & fiduciam pertinaciùs fallit quàm hydrops ; nullus igitùr majorem requirit attentionem , majorem perſpicaciam , ùt rectè disjudicetur quid ſit agendum & a quo abſtinendum , indicationes curatorias ſemper & cautè deducendo à juvantibus & lædentibus , & medendi methodum ſubindè variando , modò naturæ conatus , indicia ſpontanea , modò experientiæ filum ſecuti , cet.

Tria in hydropis curatione conſideranda ſunt, ſcilicèt, cauſæ morbi, morbus ipſemet, & organorum læſio. Cauſæ removendæ ſunt vel diruendæ ; ſtante ſiquidèm ipſarum influxu , morbus conſtanter viget , aùt recrudeſcit, perfectamque curationem effugit. Morbus , i. e. ſerum effuſum & collectum evacuandum eſt. Organica labes , vel eſt primaria & ad cauſas pertinèt , vel eſt ſecundaria & non tolli poteſt niſi ſublato morbo.

Removentur vel diruuntur cauſæ variis auxiliis cuicumque cauſarum ordini vel cuicumque ſpeciàtim cauſæ appropriatis , pari curâ attendendo tùm ad ſolida , tùm ad fluida ; evacuationes nempè ſuppreſſas revocando , nimias cohibendo ; obices , obſtructiones reſerando ; humores viſcoſos ſpiſſoſque diluendo ; fibras ſtrictas nimis laxando , debilitatas verò vel laxatas firmando , roborando ; cet.

Medici ferè omnes etiàm famigeratiſſimi qui de hydrope ſcripſerunt , ad noſtra uſquè tempora , vanâ , præjudicatâ , perniciosâ opinione delusi raptique , unanimi quasi conſenſu , potûs

cujuſcumque, in illo morbo, penitùs reſpuerunt uſum, invitis obſervationibus nonnullis ſparsim apùd Auctores reperiundis de inſigni potûs efficaciâ in hydrope; invitis morbi phœnomenis, characteribus; invito clamore naturæ a labris quasi fugientem potum avidè captantis, & *Tantali* diros cruciatus ægerrimè ferentis (*a*). Errorem illum primus, ut puto, ſcriptis propugnavit *Meritiſſimus Bacher*, *Med. Pariſinus*, qui potûs in hydrope efficaciam & neceſſitatem, tùm ratiocinio, tùm experientiâ ſtabilivit (*b*). Quam doctrinam etiàm amplexi ſunt,

---

(*a*) Outre le tourment qu'on fait ſouffrir aux hydropiques, en les privant de la boiſſon, il eſt certain que cette privation, en augmentant leurs ſouffrances, les rend d'ailleurs triſtes & mélancoliques; qu'elle détermine, accélere & augmente la fiévre qui, par la continuation de ce régime, devient de plus en plus importante. Mais ces nouveaux ſymptômes s'accroiſſent encore ſi l'hydropiſie dépend de la criſpation & du ſpaſme des ſolides: alors il en réſulte néceſſairement une augmentation d'engorgement dans les parties nobles, qui rend la maladie incurable & en précipite la fin par les hémorragies, les inflammations & la gangrene, qui en ſont la ſuite preſqu'inévitable. Le régime ſec & échauffant n'a pu qu'augmenter tous ces accidens, ſi même il ne les a produits; & quoiqu'on ne puiſſe dire poſitivement que la boiſſon les eût prévenus & détournés, il eſt cependant démontré que c'eſt le ſeul moyen capable de produire cet effet; & qu'outre l'avantage de calmer & de diminuer les douleurs, avantage précieux, même dans le cas d'incurabilité de la maladie, elle a encore celui de concourir puiſſamment à la réſolution des engorgemens, en rendant les liqueurs plus uniformes, & de prévenir les criſpations & les deſſéchemens des ſolides, plus communs dans l'hydropiſie qu'on ne le penſe, & qui ont toujours les ſuites les plus funeſtes. *Recueil d'Obſervat. de Méd. des Hôpit. milit. par M. Richard de Hauteſierck, Chev. de l'Ordre du Roi, ancien premier Méd. des Armées de France*, &c. *tom.* 2, *p.* 365.

(*b*) L'ancienne erreur du régime ſec & de l'abſtinence de toute boiſſon, doit céder à l'évidence des faits & à la ſupériorité des raiſons qui établiſſent la méthode contraire. Je ne prétends pas enchérir ſur les preuves que M. *Bacher* a données à ce ſujet, &

& repetitis obſervationibus firmârunt præclari quamplurimi in arte viri. Poſitis igitur ponendis, i. e. humorum ſpiſſitudine & viſcoſitate, ipſorumque in circuitu lentore & remiſſione ; ſiti intensâ, creſcente, &, in progreſſu, urente, intolerabilique ; oris ſiccitate & ſcabritie ; ſalivæ viſcoſitate ; fibrarum rigiditate ; ductuum vel vaſorum infarctu ; oſtiorum glandularum, aliorumve emunctoriorum impermeabilitate ; & ſimilibus ; concedendus eſt potus conveniens (*c*),

---

qui ſont conſignées dans l'*expoſition des différens moyens uſités dans le traitement des hydropiques* (1). Mais en récapitulant ici les principaux ſymptômes qui accompagent cette maladie, & qui revendiquent la boiſſon comme ſoulagement & comme remède, je ne peux me diſpenſer d'inſiſter principalement ſur la ſoif ardente qui fatigue ces eſpeces de malades, & qui a paſſé en proverbe ; ſur la ſéchereſſe de la bouche, la viſcoſité de la ſalive qui la ſuppoſe, la criſpation & l'imperméabilité des couloirs qui en ſont les ſuites, & qui ménacent des plus grands malheurs : ces ſymptômes joints au deſir ardent des hydropiques, prouvent la néceſſité de la boiſſon ; l'indication eſt ſouvent preſſante ; c'eſt le cri de la nature : mais elle l'eſt d'autant plus, que les ſolides ſont plus tendus, plus deſſéchés, les humeurs plus âcres, plus incendiées & plus épaiſſies ; elle le ſeroit encore davantage, s'il étoit poſſible, quand, à quelqu'un de ces défauts, ſe joint, comme il n'eſt que trop commun, l'obſtruction d'un ou de pluſieurs viſceres. *idem, ibid. p.* 364.

(*c*) Par boiſſon convenable, on entend un liquide proportionné au degré d'action actuelle, ſoit qu'elle pêche par excès, ou par le défaut oppoſé ; il faut en même-temps que cette boiſſon ſoit appropriée à l'eſpece de matiere morbifique engorgée ou obſtruente. Cette boiſſon doit donc varier à raiſon de la différence du degré d'action. & de la diverſe dyſcraſie des humeurs, non-ſeulement chez divers hydropiques, mais encore relativement au changement des degrés d'action qui ſe ſuccèdent chez le même individu. Il faut donc, ſuivant les circonſtances, des boiſſons rafraîchiſſantes, calmantes, adouciſſantes, aromatiques, ſpiritueuſes. *Bacher, Recherches ſur les Malad. chroniq. p.* 122.

---

(1) *Paris, chez Didot le jeune, quai des Auguſtins*, 1771.

humorum nempè ſolidorumque vitio analogus, & in largâ ſatis quantitate, &, quantùm fieri poteſt, in primis morbi temporibus; ne, ſeriùs datus, fiat inanis; nàm in hoc certè valet illud adagium, *principiis obſta*, cet. Ingraveſcunt ſiquidèm de die in diem ſymptomata, functiones magìs ac magìs perturbantur, inverruntur, omniaque in pejus ruunt. Hæc methodus quandòque ſola ſufficit ad hydropem debellandum. Aſt minimus, iſque diureticus & ſtimulans, potus concedatur in hydrope a ſeri maximâ copiâ, a ſolidorum inertiâ, ab aquoſorum abuſu, & ſimilibus.

In hydrope, ob partium, organorum debiliratem, laxitatem primariam vel ſecundariam, rarò prodeſt venæ-ſectio: hæc igitur ferè nunquàm apùd noſtrates inſtituitur, nec niſi cum a ſuppreſsâ quâdam evacuatione ſanguineâ producitur morbus, aut cum adeſt ſpaſmus vehemens & univerſalis, aut plethora (*d*), aut valida febris, & cautiſſimè. Anaſarcam, a ſuppreſsâ perſpiratione cum validâ cutis tenſione ſeu conſtrictione ſpaſmodicâ, pluriès venæ-ſectione ſolvit Peritiſſ. Monſpel. Clinicus D. *Farjon*.

Pluribus viis educi poſſunt hydropicorum aquæ; catharſi nimirùm, vomitu, urinis, ſudoribus, tandèm ferro ſivè operat. chirurg.

Cathartica tamen non tuta ſunt, quidquid in contrarium protulerint Medici plurimi non

(*d*) De utilitate venæ-ſectionis in hydrope cum plethorâ, legi merentur obſervationes duæ, in opere jam citato illuſtriſſ. D. *Richard de Hauteſierck*, conſignatæ, *tom.* 2, *pp.* 418, 420.

dubiæ famæ : & certè debitos ultrà limites prætergreſſus eſt Magnus *Sydenhamius*, dùm draſticorum efficaciam, in aquis hydropicorum educendis, ſummis laudibus extulit: nàm, cum pace tanti viri, putandum & dicendum eſt quòd ſi pluriès ipſi ſucceſſerit hæc methodus, illud tribuendum ſit, & infrequenti cuidam circumſtantiarum concurſui, & ægrotantium ſuæ curæ commiſſorum peculiari idioſyncraſiæ, cet. Verùm cathartica aſcitem non ſemper curant, ut optimè annotat *Williſius*; &, ſi diutiùs eiſdem inſiſtitur, incurabilem reddunt; hìnc ut neceſſe fuerit, pro hoc morbo ſanando, ad alia remediorum genera recurſum habere. Prætereà, circà eorum uſum, Auctores inter ſe valdè diſcrepant. Experientiâ igitùr, auctoritatibus & ratiocinio fretus, fidenter cenſeo ab illis eſſe abſtinendum; *dùm enìm*, inquit ſagaciſſimus *Piquerus*, *aquas educunt*, *naturam irritant & laceſſendo debilitant uſquè adeò ùt novam aquarum generationem*, *indèque morbi augmentum certè promoveant*. Si in aſcite à cathartico dato plùs abdomen intumeſcat, funeſtum expecta eventum.

Idem judicium ferendum de emeticis; ipſorum etenìm utilitas, tùm apùd noſtrates, tùm apùd Europæos, conſtanti experientiâ non firmatur: ideòque in præſcribendis illis, ſicùt & catharticis, valdè circumſpecti ſunt Peruviani Medici.

Licèt ad ſudores non proclives ſint hydopici, & exindè evacuationes quæ per cutis organa perſpiratoria fiunt parùm ipſis videantur con-

venire, attamen quandòque & cum ſucceſſu in hydrope adhibita fuerunt tàm extùs, quàm intùs, diaphoretica : præſcribi poſſunt igitùr, cum nempè vel a ſuppreſsâ perſpiratione fit hydrops, vel a repercuſsâ quâdam eruptione cutaneâ, ſcabie videlicèt, herpete, cet. Curioſam admodùm & utilem, in *noſologiâ* ſuâ, refert eximius *Sauvageſius* obſervationem quam habuit ab illuſtriſſ. Lycæi Monſpel. Profeſſore D. *Brouſſonet*, circà hydropem anaſarcam à ſuppreſſione tranſpirationis ortum, ex decubitu ſuper ſtratum in loco humido; quam ut curaret, juſſit ſagaciſſim. hic Prof. ut calidis linteis perfricaretur æger, ut panibus mox è furno extractis cooperiretur, pro potu biberet decoctum calidum radicis ruſci; & hâc methodo, intrà biduum redintegratâ perſpiratione, evanuit anaſarca. (*e*). Bis in Noſocomio Monſpelienſi vidit idem *Sauvageſius*, à ſuppreſsâ ſcabie aſcitem ſuperveniſſe, qui, fruſtrà tentatis cæteris auxiliis, ſanatus eſt aſſumptâ ſcabioſi tunicâ, undè repulſulavit ſcabies, & aſcites evanuit.

Omnibus præcellunt diuretica, non ſecuriori namque viâ judicatur hydrops, quàm per urinas: præterea hæc corpus minus turbant quàm purgantia, ægroſque non tàm debilitant; & ipſe *Sydenhamius* emeticorum ac draſticorum propugnator, diuretica debilibus, mulieribuſque hyſtericis felici cum ſucceſſu exhibuit.

Paracentheſis quæ per totum orbem, in aquis

(*e*) *Noſol. meth. &c. claſſ.* X, *tom.* 3, *par.* 2.

hydropicorum educendis, frequentiſſimè adhibetur, cùm in Peruviâ, ſicùt & alibi, recidivas plerùmque faciat, dubium dici debet auxilium, oculatiſſimis tantùm in arte viris mittendum. Nàm, ùt ritè ſuccedat hæc operatio, debet inſtitui & morbi initio, & firmis atque illæſis organis, & ſtantibus viribus, cet. Quæ cautelæ tyronis adhucdùm expertis perſpicaciam effugiunt. « Paracenteſis adminiſtratio, haùd ſæpiùs morbum curat, ex *Williſio*, quàm patientem interimit; quapropter ſummâ cautione opus eſt cujuſmodi affectis & quo morbi tempore adhiberi debet. Cachecticis, & diù invaletudinariis, in quibus viſcerum conformatio & temperies prorsùs vitiantur, fruſtrà erit ex aqualiculo perforato lymphas elutriari; nàm exindè ſtatìm ſpiritus fatiſcunt, atque vires exolvuntur; quin & propèdiem humoris morbifici nova illuvies ſuccedit (*f*). » Quod de paracenteſi judicium lucidiùs etiam explanatur ex Clariſſ. *Heiſtero*, his verbis: « etiamsì autem, ùt nil diſſimulemus, plerique ferè hydropici, operationem illam (paracenteſim) experti, experientiâ teſte, emoriuntur; tamen id non tàm operationi, quàm potiùs aut cunctationi, ægrorumque infirmitati, aut viſceribus graviter nimis corruptis aut exeſis tribuendum eſt. Poſſe enìm hydropicos, eoſdemque nec celeriter nimis a noxâ iſtâ oppreſſos, nec viribus planè deſtitutos, neque ab intùs collectis humoribus corruptis quoàd viſcera læ-

(*f*) *Williſius, de medicam. operat. in hum. corp. ſect.* 2, *cap.* 3.

ſos, præſertìm ſi ætate etiàm non adeò grandes, feliciter admodùm per inſtitutam in abdomine paracenteſin aliquandò curari, frequens rerum uſus docuit. Igitùr ſi applicata per aliquot ſeptimanas victûs ratio, & medicamenta convenientia, nil omninò ad reſtituendum hydropicum proficiunt, properandum utiquè ad hanc operationem eſſe exiſtimo, ne ſcilicèt ægri vires ad ſuſtinendam hanc curationem neceſſariæ ſenſim abſumantur, neve inteſtina ac reliqua viſcera fortè ab intùs hæreſcentibus humoribus vitioſis corrumpantur. Contrà verò ſatiùs utiquè videtur ab operatione abſtinere, ſicùt & in hydropicis quos non paulatìm, ut fieri aliàs ſuevit, ſed celeriter nimis malum iſtud invaſit. In his enìm vas aliquod lymphaticum grande diſruptum eſſe, non ſinè ratione conjicitur (*g*). » Sìc *Heiſterus* poſt *Celſum*, *Cœlium Aurelianum*, *Cabrolium*, *Bontium*, & cum ferè omnibus gravioribus auctoribus. Interìm non ab operatione tantùm chirurgicâ, ſed & vel maximè à medicamentis adversùs hydropem valentibus, nec-non ab accuratâ vitæ victûſque ratione, ſanitatis præſidia petenda ſunt; hydrops enìm, inquit *Heiſterus*, ſolâ paracenteſi non facilè curatur, ſed medicamenta alia ſimùl & poſteà ſunt uſurpanda, nàm, ùt *Celſus* jàm dixit, *emiſſus humor non ſanat, ſed tantùm Medicinæ locum facit.* Quandòque non ad ſanitatem ipſam abdominis & perfectam curationem inſti-

(*g*) *Heiſteri inſtitut. Chirurg. tom.* 2, *p.* 703.

tuitur paracenteſis ; ſed tantùm ùt miſerrimi cruciatus atque præcordiorum anxietates, quibus haùd rarò vehementer anguntur ægroti in progreſſu morbi, mitigentur, ſed quàm periculoſa ſit hæc methodus facilè deducitur ex ſuprà dictis.

Scarificationes ad extremas partes hydropicorum inſtitutæ gangrænam inducunt in Peruviâ ; illud quoquè hìc, Monſpelii nimirùm, obſervavi, ægros hydrope detentos inviſens cum dilectiſſimo amico meo D. *René*, D. M. idèm agunt veſicantia ab empiricis valdè decantata & ſæpiſſimè admota, a peritis verò & cautis clinicis penitùs rejecta & reformidata. « Veſicatoria autem, cruribus & tibiis, ubi cutis in magnam molem fuerit protenſa, ad aquas ſcilicèt hoc pacto educendas, ab empiricis applicari ſolita ; genus ſunt medicationis periculoſum, calorem enìm naturalem jàm fermè aquis obrutum, deficientibus itèm ſpiritibus animalibus, omninò extingunt, & gangrænam plùs ſatìs in hoc caſu familiarem, ſæpè numerò invitant. Etenìm vulnus vel leviſſimum in hydropicorum carnibus, maximè in membro pendente, ſanatu difficillimum eſt : quoniàm ipſa carnium ſubſtantia his in partibus uſquè adeò irrigua eſt & ſcatens latice, ut datâ quàcumque portâ, continuò curſu prorumpat humor, a quo vulneris conglutinatio impeditur » (*Sydenhamius.*) Idem teſtatur *Williſius.* Jàmque dixerat Medicinæ Parens ; *aquâ intercutem laborantibus, exorta in corpore ulcera, non facilè ſanantur* (*h*).

(*h*) *Hipp. aphoriſm. ſect.* 6, *aph.* 8.

Sublatâ

Sublatâ morbi causâ ; evacuatis aquis effusis ; fibrarum , partium robur , vires , elaterium , organorumque functiones restituuntur , & penitùs fugantur morbi reliquiæ ac præcaventur recidivæ diætâ rectè ordinatâ. Spiret æger , quantùm fieri poterit , aërem purum , siccum , temperatum ; aut saltèm auræ frigidioris vel humidioris , nocturno præsertim tempore , perniciosum influxum dimoveat : indumentis quæ calorem nativum foveant , rectè cooperiatur : vescatur alimenta sicca , euchyma , coctu facillima : potum convenientem & salubrem assumat : exercitio moderato , equitatione , curru vectione , navigatione , frictionibus , spleniis utatur : intermixtis etiàm , si requiritur , levioribus tonicis , roborantibus , cet. Tandem omnes omninò adimpleantur indicationes quæ corpus ad mediocrem & debitum energiæ tenorem revocare possunt.

FACULTAD DE MEDICINA BIBLIOTECA CENTRAL

CAPUT SEXTUM.

De Cancro.

Tot inter infortunia quæ humanum torquent genus , nullum est forsàn quod tantis rationibus omnem medentis attentionem & solertiam exigat , quàm horrendum illud malum cancri nomine donatum , cujus infensissimo imperio potissimùm subjicitur amabilior dicti generis species , sequior nempè sexus.

Ubi primùm Medicinæ penetralia adivi, auditis ægrotantium cancro laborantium clamoribus, & eorum miſertus, confeſtim excogitavi remedium expiſcari quo certò vel & ipſum domare morbum, vel crudeles ejus effectus lenire valerem : in hunc finem priſcorum opera perlegi, aſt eandem in omnibus doctrinam, eandem, ut ità dicam verborum ſeriem in ſingulis inveni, nihilque ex his deducere potui quod reapsè votis meis reſponderet. Neoterici diverſas finxerunt hypotheſes quibus cancri naturam determinare voluerunt : aliis acidam corroſivam in illo ſubſtantiam agnoſcere placuit, aliis alcaleſcentem cauſticam, aliis putredinoſum principium cum acido rodente, cet. Dein triplex naturæ regnum omni curâ perſcrutati ſunt, quò auxilium ad dirum hunc hoſtem ſuperandum eruerent ; & licèt nonnulla nova remedia in lucem prodiderint, qualia ſunt v. g. ex vegetabilibus, cicuta, atropa, hyoſciamus, phytolacca ; ex animalibus, millepedes, viperæ, cet. Ex minerali regno, mercurius ſeu argentum vivum, aquila alba ſeu mercurius dulcis, ſublimatum corroſivum, cet. Cum hæc omnia dubii & minimè conſtantis ſint effectûs, his artis limites non fuerunt prolati.

Undenàm autem procedat cancer, quibus cauſis promoveatur & quo proceſſu evolvatur, nunc enucleandum venit.

Lympham chemicæ perſcrutationes demonſtrârunt gluten eſſe animale ex aquâ, oleo, ſale marino, & quâdam materiâ indiſſolubili compoſitum, cujus ſingularis proprietas eſt actione

ignis, ſeu calore, ſpiſſeſcere. Phyſiologia nos docet etiàm, quòd præ omnibus humani corporis humoribus lympha vaſorum actioni ſubjiciatur, undè majorem hæc elaborationem patitur, minorique partium hætherogenearum & ſalium ſtimulantium quantitate conſtat, utiquè putridæ fermentationi non tàm obnoxia. Ex his deduci debet quòd lympha, quandiù legibus circulationis obſequitur, nullam in œconomiâ animali movere poteſt perturbationem; cum verò à quâlibet causâ detinetur, motum fluiditatis progreſſivum amittit, & coagulatur, dùm partes organicæ amittunt etiàm organicam vim.

Quâcumque de causâ igitur lympha in quâvis corporis parte congeſta ſit, primaria modificatio cujus ſit capax eſt coagulatio, fluiditatis motui oppoſita. Ab ejus verò congerie ceſsìm tumor ſcirrhi nomine cognitus efficitur. Tumor iſte, temporis decurſu, ſensìm augetur, doloris, inflammationis, ac caloris expers, coloremque naturalem ſervans: hoc modo lympha, per multos annos, ſtagnans in ſchirro manet, quìn ullum malignitatis ſignum largiatur. Aſt, in progreſſu, humor congeſtus labefactatur; principium ejus oleoſum, phlogiſticum evolvitur, &, tùm ipſius actione, tùm ſolutione ſpontaneâ, tùm aliâ causâ, moleculæ congeſtæ, diutiùs ſtagnatæ, putridam alcaleſcentiam acquirunt (*i*),

(*i*) Putridæ degenerationis theoria, abſtruſa ſanè materies, adhucdùm latet; de illâ ſiquidèm valdè diſcrepant auctores inter ſe: ejus attamen perfecta enucleatio abſcondita nonnulla œco-

in ſaniem tetram, rodentem, virulentam reſolvuntur, & cancrum pariunt. Sic traditur generalior idea ſcirrhi & ejus degenerationis in cancrum.

Lympham in ſcirrho congeſtam fomitem eſſe cancri probant etiàm ſatis chemica experimenta in cancroſis partibus tentata. Abſciſſam cancroſam mammam, & in tres partes diviſam, in aquæ parte unâ decoxit Clariſſ. *Fajet* (*ut videre eſt in Actis Regiæ Chirurg. Acad. Pariſ. tom.* 1, *pag.* 681 *& ſeq.*) Obſervavitque, indè exurgere ſpumam denſam, albeſcentem, lymphæ vel albumini ovorum coagulatis planè ſimilem. Cùm præterea in juſculo ex illâ decoctione reſiduo, nec gelatinoſos ſuccos, nec ſubſtantias alias detexerit (*k*), concluſit lym-

---

nomiæ animalis, in ſtatu morboſo præprimis, arcana enodaret. Quaſdam in hâc caligine ſcintillas ſpargere forsàn auderem, perſpicaſſimorum quorumdam tùm chemicorum, tùm clinicorum indefeſſis ſcrutationibus nixus; ſed nec datur locus, nec ſinit tempus. Hoc unum, cum meritiſſimo Auctore diſſertationis chem. *de fermentatione* in hoc celeberr. Liceo propug. à D. *Jeze*, proferre ſufficiet. *Per putrefactionis laborem eſſentialiter & radicitùs deſtruitur textus partium cujuſcunque corporis organiſati : partes ejus verè conſtitutivæ diffiantur, inverturtur; indèque exurgunt, extricantur principia nova vel ſaltèm nondùm adhùc conſpicua..... Hæ mutationes autem fiunt in corporibus tùm vegetabilibus, tùm animalibus, quandò, caſu quocumque vel fortuito vel neceſſario, ab ipſis principium vitale, vel vegetativum, quod organiſationis cujuſlibet vinculum efformat, diffluit, effugit, in auras elabitur.*

(*k*) « Ces expériences concouroient donc à nous prouver que la lymphe dominoit dans la tumeur. Je voulois de plus m'aſſûrer par la coction, comme a fait M. *Du Fouart*, ſi la lymphe n'étoit point mêlée avec des ſucs gélatineux, & même avec d'autres ſubſtances. Le bouillon ne donna aucune marque certaine de la préſence de ces ſucs ; il ne put ſe figer ; il reſta très-fluide ». *Mémoire ſur une tumeur chancreuſe à la mammelle, par M. Faget.*

pham, in hoc tumore, cancri cauſam eamque unicam exſtitiſſe. Idem judicium, poſt repetitas indagationes, tulerunt ſolertiſſimi viri DD. *de la Peyronie*, *Petit*, *Queſnay*, *Bouquot* (*l*).

Ex his conjicio; 1°. Rudimentum cancri primarium eſſe tumorem durum, in glandulis efformatum, originem habens à ſupra dicto humore lymphatico; quem tumorem appellârunt ſcirrhum omnis ævi Medici. 2°. Veras tamen inter cancrum & ſcirrhum obſervari differentias (*m*).

In ſcirrho, præſertìm inveterato, quem nec tutò exſtirpandi, nec reſolvendi ulla certa ſpes eſt, quandiù tumor indolens manet, congruo tantùm vitæ regimine præſcripto, à remediis prorsùs abſtinere præſtat; etenìm, ait peritiſſimus *Bordeu*, ex unâ parte, æger plures annos, abſquè gravi incommodo, cum hoc tumore

---

Idem auctor refert dein experimenta quibus humoris cancroſi ad alcaleſcentiam proclivitatem comperit. Hæc ſunt ejus verba. « Je fis le lendemain différentes épreuves ſur le bouillon, qui, n'ayant laiſſé aucun veſtige d'acidité, ni ſur le cuivre, ni ſur le papier bleu, avoit donné au ſirop de violette une couleur verte fort ſenſible. Le ſuc exprimé de la tumeur produiſit pareil effet; preuve bien ſenſible de l'exceſſive tendance qu'avoient les humeurs contenues dans le cancer, à devenir alcaleſcentes ». *Ibid.*

(*l*) Vid. *Acta Regiæ Chirurg. Acad. Paris*, *tom.* 1.

(*m*) In ſcirrho, lymphaticus humor, licet intrà textum glandularum ſtagnans ſit, legibus circulationis orbetur, vel ſtatim minùs obſequatur, & in tumorem accreſcat; naturales tamen ſuas ſervat qualitates: dùm verò cancroſa lues evolvitur, hæ lymphæ qualitates immutantur, depravantur; organica quoquè partium ſtructura deſtruitur, nec poteſt refici, cet. Hìnc cancer incipit ubì ſigna degenerationis, ſeu alcaleſcentis putrefactionis, in ſcirrho, exordium ducunt.

ſcirrhoſo vivere poteſt; dùm, ex alterâ parte, metuendum ne remedia reſolventia, humores commovendo, nervos ſtimulando, ſcirrhum in cancrum mutent, ægrique letum præcipitent (*n*). Hanc doctrinam jàm poſuerat *Hippocrates*, dicens, *quibuſcumque occulti cancri fiunt, eos non curare meliùs eſt: ſi enìm curantur, citiùs moriuntur; ſi verò non curentur, multum tempus perdurant* (*o*). Binas utiles valdè mecum, pro suâ amicitiâ, communicavit obſervationes clariſſimus D. *René*, de tumoribus duobus ſcirrhoſis jàm inveteratis, abſque tamen gravioribus ſymptomatibus, qui cùm, invitis hujus Doctoris monitis, invitâ funeſtâ ab ipſo prolatâ & ad ægros nunciatâ prognoſi, imperiti cujuſdam Chirurgi ſuaſu, extùs topicis & ſimùl intùs æſtuantibus validiſque reſolventibus medicaminibus debellati fuerint, mox in diros & lethales cancros abierunt.

Licèt autèm in quâvis corporis parte lympha ſtagnari poſſit; in mammis & utero nihilominùs faciliùs congeritur, magnus enìm eſt uteri cùm mammis conſenſus: hìnc fiunt cancer mammarius & cancer uterinus, de quibus tantùm, cùm in Limano climate frequentiùs obſerventur, ſeorſim agam.

A duplici humore in mammis tumores efformari valent; vel à lacte, tempore nimirùm lactationis; vel à lymphâ, ut dictum fuit.

(*n*) *Bordeu*, *Diſſert. de tumor. ſcroph.*
(*o*) Aphoriſmorum ſect. 6, aph. 38.

Prava, in utroque caſu, remediorum miniſtratio, præter alias cauſas, cancrum promovere poteſt. Si tumor in mammis à lacte productus quinto aùt ſexto die non reſolvatur, timendum ne in ſuppurationem abeat, vel indureſcat & ſcirrhum, in cancrum poſtremò migraturum, producat.

A plurimis cauſis natales ducere poteſt morbus hic, quales nempè ſunt incuria nutricum quæ per longum tempus lac in organo mammario ſinunt accumulari, alimenta ſucculenta nimis & incraſſantia, animi pathemata (*p*), aëris intemperies, attritus, cet. Sed harum pleniorem inveſtigationem conſultus prætermitto, ad therapeïamque Limenſem propero pede accedo.

Noſtrates affectæ mammæ apponunt cataplaſma ex micâ panis, aùt eam inungunt linimento ex oleo roſaceo vel oleo lumbricorum; &, ſi dolor, ardor, calor, ceteræque phlogoſim minantia ſigna urgent; ſanguinem mittunt. Hâc methodo, ut ſæpiſſimè obſervavi, tumores ad

(*p*) Melancholiæ & ſimilibus animi pathematibus noſtrates, tùm propriis moribus, tùm præjudicatarum quarumdam opinionum influxu, imperio, valdè proni ſunt. His præcipuè afficiuntur mulieres mente timidiori, exquiſitiori ſenſibilitate & organis debilioribus præditæ; undè ipſarum ad cancrum diſpoſitio, proclivitas; relationem enim ſummam & mirabilem adeſſe inter melancholicos affectus & viru cancroſum ſtabiliunt non ſolùm antiquorum mens & doctrina, ſed eximiæ nonnullæ recentiorum obſervationes, inter quas non infimum tenet locum caſus ſequens ab illuſtriſſimo Monſpel. Profeſ. D. *Brouſſonnet*, in prælectionibus ſuis Academicis de operationibus Medico-Chirurgicis, relatus, ut ab uno ex auditoribus accepi. Nobilem vidit virginem peritiſſimus ille in arte magiſter, quæ, de inferis audito ſermone, terrore fuit adeò perculſa, ut, ruptâ ſuis ex papillis unâ, viſcoſus ac glutinoſus effluaret humor, cancrique tandem omnia patieretur præludia, quæ veneſectione ac ſemicupiis diſcuſſa fuere.

ſuppurationem putredinemve tranſeunt. Meliorem exitum, reſolutionem putà, obtinui non ſemèl, dùm, ex conſilio *Mercati* & *van-Swietenii*, mammam ad vaporem aquæ calidæ exponere & unguento ex oleo amigdalarum dulcium, ſpermate ceti & cerâ albâ confecto illinire juſſi; non neglectis interim auxiliis internis, quæ lactis per ſuos canales liberum circuitum movere, aùt hunc eundem humorem aliâ & congruâ viâ educere poſſunt. Hæc apprimè ſuccedit therapeïa quandò mobilitate quâdam adhùc donatur humor & ejus congeſtio, ſtaſis, nondùm perfectè abſolvitur.

Si verò duritiem tumor contraxerit, vel ſponte, vel reſolventibus intempeſtivè admotis; in ejus curatione, rejectâ penitùs antiquorum & recentiorum nonnullorum methodo, rejectis ſcilicet topicis quibuſlibet medicaminibus, quæ putredini in congeſto lacteo humore denudandæ, evolvendæ duntaxàt idonea ſunt; ad interna diluentia & levitèr aperientia confugiendum eſt. Tunc juſcula ex vitulo cichoreata multùm conferunt, ſaponacea tunc etiàm, ſed cautè, miniſtranda, ſicùt & varia alia ex diureticis, reſolventibus, incidentibus ſelectivè deſumpta.

Aſt ubì lympha concrevit in mammis ad duritiem ſcirrhoſam, quam tumoris ſpeciem *Zaratanes* nuncupant noſtrates; Limani Medici, propriis viribus diffidentes & de artis decore atque præſtantiâ minùs ſolliciti, opus curationis integrum tradunt Chirurgis qui, admotis medicaminibus topicis, indurati tumoris extractionem tentare non dubitant. Verùm gravem

& periculoſam ut plurimùm fieri hanc operationem experientia quotidiana demonſtrat; &, quotiès miniſtraretur, totiès viderunt & faſſi ſunt clinici, toties ipſemet vidi & profiteor, vel in cancrum partem abſciſſam abire, vel duritiem renaſci (*q*).

In affectûs hujus curatione, omni ſolertiâ niti debent Medici ut lymphæ congeſtæ degenerationem removeant; obſtando ne humor ille motum inteſtinum ſubeat, alcaleſcentiam contrahat & in cancrum migret. Ablegatâ igitùr, ùt jàm ſuprà monui, topicorum applicatione; ad interna medicamina quæ lympham congeſtam & induratam reſolvendi, attenuandi, diluendi virtute polleant, quàm citiſſimè fieri poterit, confugiendum. Alcalia fixa tùm vegetabilia, tùm mineralia, tunc commendantur; hæc lympham attenuant ac reſolvunt, prætereàque virtute pollent antiputridâ experimentis illuſtriſſimi *Pringle* confirmatâ; fractâ tamen doſi propinentur ſalia illa, ab uno ſcilicet grano ad plura, ſensìm & cautè procedendo; noſtris etiàm fervidis in regionibus, humorum ſpiſſatio & indigenarum evecta ſenſibilitas requirunt ut hæc medicamenta in liquore aliquo

(*q*) Domina *De Rodrigués* Limana laborabat duritie mammosâ quæ ſolerter exſtirpata fuit à perito Chirurgo *De Portalés* : anno tamen ſequenti repullulavit tumor, quem iterùm extraxit expertus Chirurgus *De Mendoſa*.

« Sanè verò, inquit *Stahlius*, ne ipſa quidèm exſectio ſcirrhoſi noduli, adhùc quantumcunquè veluti ſuperficialis, exhaurit hic ità univerſum negotium, ùt quoquo modo omne periculum in ſolidum ſublatum eſſe indè ſperare ſit integrum, nedùm confidere ». *Theor. Med vera p.* 999.

mucilaginoſo aut in vituli juſculo miniſtrentur. Saponaceorum cum ſulphure mixtionis vim & efficaciam prædicat clariſſ. Med. Paris. D. *Dupré*, in ſuo perutili tractatu *De Cancro*. Ex combinatione putaminum ovorum cum vino exurgit medicamen quoddam ſat compoſitum cujus virtus reſolvens, in hoc affectu proficua, proclamatur (*r*). Valdè proſunt etiàm aquæ minerales : hæ pluribus in Peruviæ locis ſcatent, attamen, medicorum incuriâ, nullius aùt admodùm rariſſimi uſûs ſunt. Interìm partem affectam molliter habere, illamque panno coccineo, aut goſſipio induere & omni attritu tueri oportet.

Ubi ſcirrhoſa duities à preſſione, attritu, aut aliâ ſimili causâ exordium ducit ; lac caprinum, præſertìm ex caprâ quæ cicutâ veſcatur mulſum, maximè prodeſt, referente anglo medico clariſſ. *Barrows*.

Si verò opportunioribus auxiliis ſcirrhus non cedat ; ſi, in eo, pruritus, dolor, &, per intervalla, ſenſus lancinans, pungens ac urens perſentiantur ; ſi coloris naturalis jàm fiat mutatio in rubellum, purpureum, cæruleum, lividum, atrumve ; ad cancrum talem ſcirrhum properanter tendere & periculum minari dignoſcetur.

In pejus autem ruiturum fore cancrum certò deducetur, nonſolùm ex organi læſi præſtantiâ, ſed ex morbi eſſentiâ & progreſſibus, ex

---

(*r*) Vid. *Diarium Med. Paris*, *ann.* 1770.

humorum corruptelâ, cet. Nullam enim curationis ſpem admittit cancer, niſi ſit recens & in ſuperficie poſitus, nec debent prætereà deſtrui radicitùs partium ſtructura, nec inquinari humores, nec rodi & infimari nimis vitale vinculum, cet.

« Ubi recens cancer eſt, inquit *Lommius*, neque adhucdùm aliquo in membro vetuſtate penitùs inſedit, curationis aliquam viam præbet, quùm verò is inveteravit, aut penitùs etiàm inhæreſcit, nullâ Medicinâ vincitur, magìſque ſi ſimùl etiàm ulcus acceſſit. Sed & curationibus magis laceſſitur, quàm juvatur : nàm ſi ferro quis aduſſit, multò magis id tùm concitatur efferaturque, & exitii cauſam certi præbet. Tùm etiàm etſi ſcalpello exciſum eſt, tamen poſt inductam cicatricem revertit, creſcitque donec vitam adimat (*s*) ». In operatione igitùr chirurgicâ, ſeu exciſione, minimè fidendum. « Quam plurimos ejuſmodi in fœminis vidi, verum cancrum exprimentes, tàm integros, duritie, lividis puſtulis, ardore levi, ſalèm moleſtantes ; quàm poſteà exulceratos ſtirias carneas protrudentes, labia tumida, inverſa, proferentes, cruorem continuò reddentes, diù excruciantes, atque etsì radicitùs in aliquibus ad coſtas uſquè amputarentur, rursùm repullulantes, tandèmque mortem adferentes » (*Platerus*) (*t*). Ex his & famigeratiſſimorum auc-

(*s*) *Medicinal. obſerv. lib.* 2. *p.* 272.
(*t*) *Obſervat. lib.* 2, *p.* 506.

torum obſervationibus conjiciendum eſt, quòd temerariè admodùm ſe gerant & periculoſæ plenum opus aleæ ſuſcipiant, qui cancros præcidere non dubitant; cùm ne ipſum nodulum cancroſum ſecare tutum ſit. Audiamus enim, in hoc, magnum *Stahlium*; « quod autem, ait, chirurgicam plenariam exſtirpationem attinet, reddit certè etiàm hanc ipſam (ii vel maximè operatio reliqua ad-amuſsim feliciter ſuccedat) tamen difficillimam duplex periculum, ipſius experientiæ teſtimonio luculento admodùm familiare, & modo non ſolemne; nempè 1°. materiæ ipſius genius verè fermentativus; cujus ſi quidquàm adhùc in parte integrâ manente reſiduum reſtet, nihil actum eſt reliquâ totâ operosâ reſectione; dùm hoc relictum ità verum fermentum reliquam ejuſdem generis corruptelam non ſolùm certò iterùm propaget, ſed etiàm nominatìm per partes pectoris ſimpliciter potiùs carnoſas muſculoſas, jàm ſimpliciùs atque ſinceriùs putreſcentem ſeu ſphaceloſam: undè etiàm in hanc charybdin projecti patientes dehìnc minimo communiter temporis ſpatio penitùs intereunt. 2°. Venit hìc omninò in conſiderationem, utùt erronea penitùs, interìm tamen adſuefcens, pertinacia illa, ad certam partem congerendi, imò cum ſummâ contentione conſtringendi humores. Undè exſtirpatâ etiàm unâ mammâ, non ità rarò etiàm in alterâ oriuntur pares ſtaſes; & quidèm citiùs » cet. (*v*).

(*v*) *Theor. Med. vera*, *p.* 998.

At quotiescunquè, ritè deductis indicationibus, operatio tanquàm damnosa rejicienda venit, ad alia tàm interna quàm externa auxilia recurrendum, & sinè morâ; cum enim morbus altiores egit radices, cum latiùs diffunditur humorum corruptio, tunc vana est ars, nullaque salutis spes supereſt. « Verùm, inquit illustrissimus *Bordeu*, cum scirrhus, spontaneâ humorum fermentatione, vel aliâ de causâ, in ulcus cancrosum degeneraverit, tunc remedia quæ in priori statu inutilia imò & noxia fuissent, in isto necessaria veniunt; æger enim, ob ulceris resorptam continuò saniem reliquos corporis humores inficientem, mox inevitabili fato succumbet: idcircò, cùm nulla ab expectanti medicinâ longioris vitæ spes supersit, remedia, quoàd fieri potest, humorum corruptioni & ulceris ulteriori progressui obsistentia tentare convenit, quò vita paulò longiùs protrahatur (x) ».

In cancro ulcerato valdè commendatur unguentum ranarum lege sequenti paratum. Excipe 20 ranas quas extinctas aut vivas butiro recenti aut pinguedine Anatis involves, quantùm sit satis, easque sic in ollam vitreatam multis foraminibus in fundo excavatam projicies, quam sanè in alteram capaciorem immites, &, per partem ejus supernam, ignem, facto priùs, ex luto, cooperimento, appones, donec butirum & ranas satis superque in majus vas eliquari comperias; posteà verò, separatâ pin-

(x) *Dissert. de tumor. scroph.*

guedine, ranas comburi permittes, donec in pulverem commutari facilè poſſint. Quo facto, ex ranarum butiro ſolo vel cum cerâ, vel in mortario plumbeo agitato, linimentum parabis. Hujus remedii efficaciam tùm priſcorum tùm recentiorum probare videtur conſenſus (y). Non minoris erit virtutis illud linimentum, juxtà eoſdem auctores, ſi huic addantur pulveres cancrorum & limacum.

Saponis in lacte ſoluti, additis ſuccis belladonæ & dulcamaræ, ad partem cancroſam applicatio magnoperè laudatur. Linimentum confectum ex oleo lini, cerâ & opii tincturâ ut novum & mirabile anti-cancroſum effertur in diario Med. Pariſ. pro menſe Maii anni 1786. cicutæ (z) vim antiſcepticam, anticancroſam, multis encomiis celebravit clariſſimus Viennenſis Medicus *Storck*; ſed cùm non æquè ſuccedat hæc planta in omnibus regionibus (a),

---

(y) *Galenus ſimp. lib.* 2°. — *Martinus Akakia, celeb. prof. Pariſ. de morb. mul. lib.* 1°. — *Lud. Mercatus hiſp. Archiater, de mulier. affectib. lib.* 1°. — *Riverii obſerv.* — *Dupré, Traité du Cancer, tom.* 1.

(z) Conium maculatum *Linnæi.*

(a) Clariſſimus Dom. *de Canibel*, Gaditani Regii convictorii moderator Regius, inefficaciam cicutæ expertus mihi benevolè teſtatus eſt. Idem accepi à celeberrimis quibuſdam Monſpelienſibus Medicis.

« Extracti cicutæ uſu ſcirrhos innumeroſque alios morbos ferè inſanabiles deſtructos fuiſſe affertur. Sanè quidem ſtupendum nobis videri debet tot & tantos mirabiles ac fauſtos effectus ab extracto cicutæ productos decantari; cum in noſtro climate, invitis innumeris medicorum optimæ notæ experimentis, nullum felicem ſucceſſum habuerit. Honeſta virgo annorum ætatis 39 ſcirrho in utero laborans per ſex menſes, libram unam extracti cicutæ ſumpſit, malo ſemper renitente. Cicuta ad octo libras & amplius in magno Noſo-

ideòque de ejus præſtantiâ valdè diſſentiant inter ſe clinici, hanc inter dubiæ virtutis remedia annumerandam eſſe cenſeo. *Jàm vellem quidem*, inquit illuſtriſſimus *Vogel*, *ut cicutam ex periculis meis dilaudare hoc loco poſſem, niſi Medicos tàm ſæpè ut me ipſum jàm deſtituiſſet, quìn & lugubres effectus in corporibus nonnullis edidiſſet* (*b*). Idem judicium ferendum de ſolano, aconito, belladonâ & aliis venenatis vegetabilibus; quamvìs Doctor *Albertius* tanquàm

---

comio hujuſce urbis duodeviginti abhinc menſibus uſurpata, ut cancris & ſcirrhis laborantes ad ſanitatem revocarentur, obiit major pars ægrorum, cæteri languent, nemo ſanitatem recuperavit, cet... Mulier quadragenaria, florido colore ac corpore benè conſtituto, in utero correpta fuit cancro; conſilio oculatiſſimi æſculapii *Antonii Petit*, de cicutâ noſtrate abſquè ullo ſucceſſu uſa eſt. Medico mirante culpam cicutæ in clima transfert. Ad expertiſſimum & ſummè perſpicacem D. *Storck*, litteras mittit, & ab eo quantitatem extracti magnam accipit, quæ non feliciùs ceſſit, ægraque haud multò poſt, ſua concluſit fata ». cet. *Quæſt. Med. Pariſiis propugn. à D.* Andry; *preſide inclyto viro D.* Lemonnier, *Regis conſil. & Med. ordinario-primario; die* 22 *menſ. Decemb. anni* 1763 : *ſub h. v.* An cancer ulceratus cicutam eludat ?

» Mais il faut avouer que nous ne ſommes pas plus heureux que les Anglois, & que ſi la ciguë n'a pas répondu en Angleterre aux éloges qu'on lui donne en Allemagne, ſes effets ont encore été moins marqués en France. Elle a réuſſi quelquefois comme remède palliatif; elle a ramolli, & même, à ce qu'on dit, fait diſparoître des tumeurs ſquirreuſes, mais on eſt encore à en attendre une guériſon complette du cancer ». *Med. domeſt. tom.* 3, *pag.* 347, *ad notam traductoris.*

« L'efficacité tant vantée de la ciguë, paroît s'être diſſipée dans les airs avec les cris de ſon prôneur. A peine aujourd'hui trouveroit-on, dans l'Europe entiere, quelque juſte appréciateur des choſes, qui n'ait ôté ſa confiance à ce remède, ſi ce n'eſt ſon inventeur, &c.... Enfin, M. le Docteur *Audrée* la reprouve, aſſûrant, d'après un aſſez grand nombre d'expériences, que non-ſeulement elle ne guérit point le cancer, mais même qu'elle tourmente le malade en pure perte, &c. *Peyrilhe*, *Diſſert. Académiq. ſur le cancer*, *pp.* 78, 79.

(*b*) *Acad. prælect. de cognoſcend. & curand. præcip. corp. hum. affectibus; part.* 2, *p.* 322.

ſpecificam adversùs cancrum belladonam decantet (*c*). De cætero, licet omnes dictæ plantæ in Peruviâ ſpontè naſcantur, in earum viribus indagandis nullum hùc uſque noſtrates experimentum tentârunt. Radices dauci ſativi (*d*), tùm intùs, tùm extùs, à *Fullero* & aliis valdè commendantur. Succo vel foliis contuſis cardui tomentoſi (*e*) externè in cancro mammarum utebatur (*Boerhavius*) cet.

Valdè prædicatus fuit, tanquàm mirabile medicamen anti-cancroſum, mercurius ſublimatus corroſivus ad gr. 4, in unciis ſpiritûs vini 48 ſolutus; cuius mixturæ ſi gulis diebus manè & veſperi unciam unam aſſumere debet æger ſuperbibendo uncias ſex decocti calidi ex radicibus ſarſæ parillæ & altheæ, ac ligno ſaſſafras; ſinguliſque bihoriis manè in lecto ad ſudorem corpus componendo, tectum ſemper ſervandum in perſpiratione (*f*): cet.

Salis etiàm ſpiritus, validum ſanè anti-putredinoſum, miræ dicitur efficaciæ contrà cancrum. « Spiritus ſalis marini, inquit illuſtriſſimus *Van-Swieten*, cùm adeò efficaciter omni putredini reſiſtat, ſummi pariter usûs erit, modò tantâ

(*c*) Videatur ejus thæſis; *De belladonâ tanquàm ſpecifico in cancro præſertìm occulto.* « Bellædonæ foliorum decoctum internè hauſtum pro ſpecifico ad cancrum occultum, imò ad apertum commendatur. Hoc verò novi, quòd ægra quædam in vicinia, cui Chirurgus hoc decoctum dedit, per aliquod tempus amens, ſed non curata fuerit ». *Heiſteri inſtit. Chirurg.*

(*d*) *Daucus carota Linn.*

(*e*) *Onopordum acanthium Linn.*

(*f*) De hoc conferatur diſſertatio Tubingæ propugn. Ab *Achatio Gaerner*, ſub hoc titulo: *ſpecifica methodus recentior cancrum ſanandi*; cet.

copiâ

copiâ aquæ diluatur, ut oculo inſtillatum hoc liquidum vix dolorem faciat; cancrum exulceratum mammæ in pauperculâ muliere, cæteroquin ſaniſſimâ, per quindecim menſes potui hujus remedii uſu ſic ſuſtinere ut vix in deteriùs vergeret » (*g*).

Ad hæc accedit & forsàn, ut potè mitius & expers damni, præcellit acetum; quantùm enim valeret hoc acidum tùm ad præcavendos, tùm ad proffligandos putredinoſæ indolis morbos omni ævo cognitum fuit. Ad illud præcipuè confert acetum aquâ mixtum, quam potûs ſpeciem *poſcam* dixerunt veteres vel *oxycratum*; recentiores verò *oxycratum* ſolummodò nominant. « Hæc, inquit *Boerhavius*, compoſitio (aceti) admodùm utilis eſt, quoniàm putredini, humoribus animalium adeò communi, adeò periculoſæ, adverſa... Refrigerandi vim habet eximiam, quoties febris oritur ſtimulo acrioris bilis, alcaleſcentis ſalis, aùt putridi nati in corpore humano..... Undè *Dioſcorides*, & *Hippocrates*, poſcâ, vel oxycrato, inprimis mellis admiſtu mitificato (*h*), ad hæc mala nihil reliquerunt commendatius..... Ad putredinem veram humorum, corruptionem mortiferam, gangrænoſos reptatus, adeò prodeſt, ut nihil habeat ſimile; quod expertus loquor..... Sed & attenuandi virtutem quoquè, pace aliter ſentientium, aceti virtutibus accenſeo » (*i*). D. *Diamantes Coray* in *pyretologiæ ſynopſin*

(*g*) *Comment. in Boerhavii aph. tom.* 1, *p.* 832.
(*h*) Compoſitum illud *Oxymel* dicitur.
(*i*) *Elem. chem. tom.* 2, *p.* 132, 133.

quam *thæſeos* vice impugnandam obtulit pro *Baccalaureatûs* gradu in inclito *Ludoviceo* Monſpelienſi conſequendo ; contendit ſuccos fructuum horæorum ſubacidorum anteponendos eſſe *aceto*, quod propter duo principia ex quibus conſtat *acidum* ſcilicet & *ſpirituoſum*, nunc calefaciendi, nunc refrigerandi virtutem exerere poteſt, cet. (*k*). Sed hanc, de principiis ex quibus conſtat acetum, opinionem, a verâ & genuinâ chemicorum doctrinâ, & ab experientiâ prorsùs alienam, invictis argumentis diruit peritiſſimus in *Lyceo* Medic. Monſpelienſi chemiæ Profeſſor D. *René* : præterea fermentationis acetoſæ ætiologiam evolvens ac dilucidans præclarus auctor eximiæ diſſertationis chemicæ *de fermentatione*, in dicto *lyceo* propugnatæ a D. *Jeze*, ſic loquitur ; *hinc poſtquàm liquor vinoſus acorem ſuſcepit, ſpiritus ardens partibus acidis involutus, ſenſus effugit & omnes ſuas dotes ac proprietates amittit : hìnc acetum perfectum deſtillationi ſubmiſſum, non ſuppetit ſpiritum ardentem, ut liquor vinoſus propriè dictus, ſed acidam ſubſtantiam* (*l*).

Si tamen, poſitis ponendis, ad operationem confugere judicium ſit ; hæc quàm citiſſimè & antè plenariam morbi evolutionem inſtituatur. Manus etiàm Chirurgica tunc prudenti ducatur conſilio, præſcripto ſimùl, & præprimìs, con-

(*k*) *Pag.* 40, *ad notam*, 129.
(*l*) *Pag.* 20.

gruo vitæ regimine, exhibitiſque congruis medicaminibus. Cancros ſciſſioni eſſe idoneos arbitratur *Aëtius* (*m*), qui in ſummitate mammarum conſiſtunt; nam reliquos, qui aut mediam mammam occupant, vel propè coſtas degunt, Chirurgi manibus non licet evellere. Idem docuerunt cauti omnes practici. Corpore victu medicamentiſque ſatis præmunito, parvoque adhuc exiſtente cancro atque conſpicuo, i. e. in ſummâ cute poſito) *Galenus* (*n*) conſulit duritiem manibus comprehendere per partem poſticam, ut extrà ad pupillam promineat, & radicitùs cancrum evellere (*o*). Verùm, pro circumſtantiarum ordine & varietate, oportuniorem ſeligunt & ſeligere debent operandi methodum ſolertes Chirurgi (*p*). *In extractione* tamen, quâcumque arte fiat, *ſummoperè curandum eſt*, ut rectè monuit *Mercatus* (*q*), *cancrum radicitùs evellere; quippè, ſi ex toto non abſcideris, nil aliud facies quàm, ex non ulcerato cancro, ulceratum efficere.*

Non deſunt Chirurgi qui cauterio actuali vel potentiali cancrum mederi conantur, ſed ad *Tartareos* cruciatus mittenda eſt hæc dira methodus.

Jàm ad uteri cancrum deſcendo, pauciſſima

(*m*) *Serm.* 4, *cap.* 44, *ex Mercato.*

(*n*) *Lib.* 14, *methodi.*

(*o*) Radices autem cancri nihil aliud ſunt quàm vicina cancri vaſcula, quæ, a cancroſo tumore compreſſa, ſanguinem detinent, unde partis affectæ color lividus, purpureus, cet.

(*p*) De operationis proceſſu conſul. *Belaſco y villaverde, curſo de operaciones.* — *Heiſteri inſtit. Chirurg. cet.*

(*q*) *De mulier affect. lib.* 1, *cap.* 17.

tantùm & leviora ſparsìm proferens de ejuſdem viſceris ſcirrho ; cùm huic referri poſſint, plus minuſvè, quæcumque prolata ſunt de ſcirrho mammario.

Incredibile profectò atque ſtupendum quantâ malorum varietate uterus in mulieribus ſedes ſit ! Hìc ærumnarum quibus ferè perpetuò cruciantur & conqueruntur fons & origo : evecta hujus viſceris irritabilitas, exquiſita ſenſibilitas, peculiaris ejus ſtructura, peculiares quas exerit functiones, mirabilis relatio quâ cum cerebro, corde, ventriculo & præcipuis aliis corporis organis conſentit ; illum ad humorum congeſtiones patiendas præ cæteris viſceribus diſponunt. Eſt ſanè uterus receptaculum multarum impuritatum corporis ; ibì undiquè excernendi confluunt humores, ibì vias ad horum expulſionem paratas natura habet : *Hofmannus* putabat humores feroſos totius corporis per uterum evacuari.

Inquiſitiones anatomicæ nitidè demonſtrant partem uteri interiorem diſſeminatam eſſe glandulis omnis generis, quas *Bartholinus* tuberculos glanduloſos nominavit. Hos *Morgagni* omni ſolertiâ tuberculos examini ſubjecit, viditque ac demonſtravit per dictos tuberculos humores diverſos tranſcolari, qui, in majori parte, feroſi, mucoſi, gelatinoſi, filamentoſi, variique coloris ſunt. Prætereà *Bartholinus* frequenter obſervavit quod dum humores ad inteſtina affluunt, ibì colicos dolores ; dumque ad uterum, ibì congeſtiones & fluores albos producunt.

Jàm verò ſi humores a craſſitie, lentore, copiâ, aut a ſtructuræ vitio, aut ab irritatione, compreſſione, aliâve quâcumque ſimili causâ in uteri glandulosâ compage, vel vaſculis lymphaticis, aut eorum cellulosâ tunicâ hærent, ſtant ac veluti incarcerati detinentur & ſpiſſantur, ità-ut nec vis vitæ, nec vaſorum actio, nec fluidi ſubſequentis impulſus, hos legibus circulationis iterùm ſubjicere poſſint; ex tali decubitu, congeſtione, exurgere debent neceſſariò tumores varii generis. Si à ſanguine fiat ſtaſis, inflammatio ſequitur; ſi verò lympatici ſint aut ſeroſi humores congeſti, in tuberculoſos tumores, & ſensim in ſcirrhos, cancros, ac polypos difficilis ſæpèque nullius curationis abeunt.

Ad cauſarum autem hujus morbi perfectam explanationem, præter jam dicta, varia ſanè adhucdùm dicenda mihi occurrerent; ſed hujus Academici ſpeciminis ne longiùs limites protrahantur, quædam tantùm, ex meâ mente, præcipua & ad noſtrates ſpecialiùs ſpectantia, enucleare moliar.

Rorem ad hunc dirum affectum producendum vel evolvendum, Limanâ in plagâ potiſſimùm conferre pro certo habeo (*r*): & ſi proprie-

(*r*) « Ille igitur humor *(ros)* eſt quàm maximè compoſitus. Neque de ejus naturâ propriâ aliquid boni dici poteſt, ità-ut illud ubiquè verum eſſet. Quùm enìm ille ſit aggregatus ex confuſis inter ſe omnibus corpuſculorum æſtu ſolis æſtivi volatilibus corpuſculis terræ ipſius ipſo actu exhalantibus & repercuſſis, ſanè verum cahos edit. imò, & in quâlibet ſingulari telluris plagâ,

tates ejus attentè perpendantur, nitidè res apparebit. 1°. Enim, ros ceram telaſque candificat & colorem pannorum mutat; quæ omnia affatim probant cauſticam ejus vim. 2°. Purganti cathartica virtute pollet ros, corpora reſolvit & oves dyſenteriis cruciat. Lactis poculum quod per noctis decurſum in aëre libero roris actioni relictum fuerat, altero die vices purgantis medicamenti gerere pluries obſervavi. Uvas, ſummo manè, & adhùc rore madidas comeſtas, alvum movere cum torminibus, & nonnunquàm dyſenterias cruentas producere norunt omnes Monſpelii incolæ, & plures experti teſtantur. 3°. Juniores plantas urit certè ros ſuâ ſalinâ acrimoniâ : æs quoquè ferrum & chalybem rodit ſeu in æruginem mutat. Quæ & aliæ roris proprietates explanatè probant illi ineſſe principia acria, ſalina, ſtimulantia quæ per corporis peripheriam ſeu per cutis meatus abſorpta & in ſanguinis humorumque oceanum devecta, tranſlata, his fluidis ſuam acredinem communicant; undè partes, in quibus præſertim ſtant congeſtiones, irritantur, vellicantur & cancri characteres induunt. Ad illam roris, ut ità dicam, virulentiam concurrit etiàm defectus pluviarum, quibus a cauſticis ſalibus atmoſphera Limana repurgaretur.

Alimenta glutinoſa & difficilis digeſtionis inter cauſas cancri memorandas percontari debent. *Sylvius* ſi quidèm in Hollandiâ obſervavit fluores

---

ſemper alius erit penitùs; proùt nimirùm illo in loco ubi gignitur diverſa corpuſcula edent. *Boerhavius*, *elem. chem. tom.* 1, *p.* 251

albos crebros fieri ab uſu prædictorum alimentorum. His accedunt quæcumque ad ſex rerum non naturalium dictarum abuſum ſpectant; ſuppreſſæ itidèm evacuationes conſuetæ; cet.

Omnem uteri cancrum malignum eſſe, contrà *Aſtruci* opinionem, proferre non dubitò: ſi quidèm cancer ſupponit alcaleſcentem putridam tumoris ſcirrhoſi degenerationem, quæ nonniſi maligna valet eſſe.

Præcipua ſigna ſeu ſymptomata quibus ſtipatur ferox ille affectus, ut crebrò apud noſtrates obſervavi, ſunt febris lenta, labiorum & maxillarum rubedo, animi languor, inquietudo (*s*); oculi cavi fiunt; doloribus circà inguina, ventrem & lumbos divexantur ægrotæ; moleſtâ nauseâ anguntur; cet. Pathognomonicum tandèm ulcerati cancri ſignum eſt emanatio materiæ tenuis, aquoſæ, nigræ, flavæ, fætentis, & in decurſu putredine ſolutum cadaver redolentis.

Medica præſidia adversùs uterinum cancrum a Limanis Medicis adhibita, ſunt 1°. victûs ratio refrigerans & humectans, balnea, potiones & juſcula majori minorive aperienti virtute donata pro ægrotantium idioſyncraſiâ, morbi cauſis (*t*), cet. Si ab aliquâ ſuppreſſâ evacuatione

(*s*) Excellentiſſimus Dom *Antonius De Ulloa*, caſtrorum & exercituum Catholici noſtri Regis præfectus, in ſuo doctiſſimo ad Peruviam itinerario, maxillarum & labiorum rubedinem, animi languorem ac lenticulam febrem tanquàm hujus morbi ſigna refert, (meritò quidèm), ut legiſſe recordor.

(*t*) *Conſiderare porrò oportet etiàm naturas mulierum, & colores, & ætates, & tempora, & locos, & ventos. Hippocrates, de morb. mulièbrib. lib. 2, ſect. 1.*

exordium ducat morbus ; hæc revocetur , ſi fieri poteſt , vel ſaltem arte promoveatur evacuatio quædam evacuationi ſuppreſſæ analoga , ipſique ſuccedanea , & per loca convenientia. Nuſquàm , in hoc caſu , hirudines admovent noſtrates , quià ipſis planè ignota ſunt hæc animalcula. His propinatis , injectiones ex herbâ *ſancti Auguſtini* (*u*) cum *rhodo-ſaccharo* pro vulneribus , atque paregorica ad dolores leniendos miniſtrant. Si autem adſunt phlogoſis , validus ſpaſmus , cet. Venæ-ſectionem , balnea & ſimilia ad uſum vocant. Si verò diatheſis humorum glutinoſa , viſcoſa , & ſolidorum atonia , quæ veram cachexiam indicant , obſerventur ; tunc attenuantia , incidentia , & quæcumque congeſtionem in minoribus vaſculis efformatam reſolvere valent , in uſum veniunt.

Ad therapeiam cancri uterini referri poſſunt etiàm varia auxilia jàm propoſita , dum de medelâ cancri mammarii agebatur.

Paucis abhinc annis , in regno *Guatimalæ* , apud Mexicanos , detectum fuit ſpecificum quoddam (ut fertur) adversùs cancrum. Anno 1781 hoc Limæ nunciatum fuit epiſtolâ ex *Guatimalâ* a D. *Joſepho Florés* miſsâ. Eſt autem illud ſpecificum *Lacertæ* quædam ſpecies quam noſtrates *Lagartijas* nominant , quæque non differt à *Lacertâ* terreſtri , coloris griſei cum punctis fuſcis , intrà muros hoſpitanti & in

(*u*) An *heliotropium* , an *verrucaria* ſit hæc planta , neſcio? Certum autem eſt *verrucariam* efficacem eſſe adverſus ulcera gangrænoſa & ſcrophulas.

Galliâ, Hiſpaniâ, aliiſque Europæ locis facilè reperiundo. Hæc animalia cruda, calore naturali adhùc tepentia & vi vitali non ex toto orbata, pelle nudata tamen, eviſcerata & extremis, caudâ nempè capiteque, abſciſſis, deglutiuntur. Dicto eodem anno 1781, in regio Limano Noſocomio *Beatæ Mariæ charitatis* hoc remedium miniſtravi, coràm Noſocomii adminiſtratore quem nos *Diputado* dicimus, per quindecim dierum ſpatium; ſed leve tantum indè ſolatium experti ſunt ægrotantes, ùt ritè obſervavi, nihilominùſque mox ſuas morbus ſtrages edidit.

Gas mephiticum (*x*) noſtris diebus commendatur tanquàm heroïcum antiſcepticum & anticancroſum. Contendunt etiàm nonnulli corticem Peruvianum, ob mephiticum aërem qui compoſitionem ejus ingreditur, adversùs cancrum multùm prodeſſe: at illuſtriſſimus *De Haen* dubitat *an ab aëre fixo, vel ab alio nobis hucuſquè ignoto principio, virtus kinæ adversùs gangrænam probatiſſima naſcatur?* Illudque problema *Magbridio* ſolvendum relinquit.

Hujus infenſiſſimi morbi therapeïæ finem im-

(*x*) « Si l'air méphitique eſt capable de corriger la matière purulente dans les poumons, on peut raiſonnablement inférer qu'il ſera également utile, appliqué extérieurement, aux ulcères ſordides; & l'expérience confirme cette concluſion. Cet air appliqué même à un cancer, tandis que le cataplaſme de carotte étoit ſans effet, a adouci la ſanie, modéré la douleur, & produit une meilleure digeſtion » (*Percival.*) *Expériences & Obſervations ſur différ. eſpèces d'air, par M. Prieſtley, p.* 398. — Idem *Magbridius, in toto operis ſui decurſu.* — Idem, *Peyrilhe, Diſſert. Acad. p.* 114, *Obſerv.* 5, 6.

ponam, unum aliudve proferens verbum de anticancroſo quodam linimento, quod felici cum ſucceſſu conſtanter adhibui adversùs omnem recentem ulceratum cancrum. Conficitur autem hoc linimentum ex pulveris æruginis i. e. rubiginis cupreæ dracmâ unâ, ſucci limonis guttis aliquot, ceræ albæ pauxillùm & olei communis quantùm ſatis ad conſiſtentiam. Ærugo vi deterſivâ, tonicâ, ſtimulante pollet; ex illâ multa externa medicamina magnæ efficaciæ præparantur, qualia unguentum Ægyptiacum, collirium *Lanfranci*, balſamum viride metenſium, aqua celeſtis ophtalmica, cet. Porrò tale linimentum eſſe videtur ſaponem acidum qui multis rationibus in hoc morbo commendatur. Ex illo partem ulceroſam, ope penicilli, levi manu inungere jubeo; & tanta eſt ipſius præſtantia, ut nullam viderim ægrotam fato fungi dùm eo uteretur, modò illud fieret debito tempore; quod lætus recordor.

CAPUT SEPTIMUM.

De Syphilide.

SYPHILIS aut ſyphilitica lues, fœdus & horrendus morbus, meis jàm laboribus materiam ſuppetit. Relictis ſpretiſque vanis & ambagioſis de ejus origine (y) ac naturâ perſcrutatio-

(y) Præcipua ſcriptorum pars Americam ſyphilidis natale ſolum eſſe gratis aſſerit; nec mirum!..... Per omne nefas in nos in-

nibus, quæ de illo notatu digniora Limanâ obſervantur in plagâ delineabo ; ex quibus patebit luem hanc, nec apùd nos crebiorem eſſe, nec ullâ malignitate ſtipatam.

Quamvis ſyphilis nonnunquàm obſcuretur & lateat, varioſve induat characteres ; duplici tamen

---

ſurrexerunt Europæi ; ingratamque patriæ matris fertilitatem, filii vitâ, opprobriove expendere.

La loi de l'univers eſt malheur aux vaincus.

Proveri amore tamen pro nobiſque pugnârunt nonnulli.

« Je ſuis d'un ſentiment bien différent de ceux qui regardent les maladies vénériennes comme nouvelles, c'eſt-à-dire, comme inconnues en Europe avant les voyages de *Colomb.* J'en ai trop vu de traces chez les Anciens, pour changer d'opinion.

Les livres Hébreux me fourniroient des preuves ſans replique de la vérole, ſi c'étoit ici le lieu de me livrer à des réflexions philologiques ſur la vraie ſignification des termes : j'en produirois auſſi des exemples tirés des Auteurs latins ». *Roſen, Malad. des enfans, chap.* 23.

Dic dea quæ cauſæ nobis poſt ſæcula tanta
Inſolitam peperêre luem ? Num tempore ab illo
Vecta mari occiduo noſtrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus ſolvens de littore Ibero
Auſa fretum tentare, vagique incognita ponti eſt
Æquora, & orbe alio poſitas perquirere terras ?
. . . . . .
At verò ſi ritè fidem obſervata merentur,
Non ità cenſendum : nec certè credere par eſt
Eſſe peregrinam nobis, tranſque æquora vectam
contagem. . . . .

Hieron. Fracaſtorii ſyphilis, lib. 1°.

An Hipp. galeno, & reliquis, qui ſunt ſuperſtites auctoribus vriſcis Græcis & Latinis venerea lues, hoc ſaltem nomine, cùm de re ipsâ nullum ſit dubium innotuerit, non attinet, &c. *Notatu tamen dignum videtur hæc*, cet. « Il y a tout lieu de croire que ce mal eſt auſſi ancien que le monde, & ſi on lit avec réflexion les débauches & enſuite les douleurs que *Tacite* & *Suetone* attribuent à *Tibère*, on peut aſſûrer qu'il n'avoit pas le mal de Naples, mais celui de Caprées, lieu de ſes divertiſſemens & de ſes plaiſirs ordinaires ». *(Excerpta fuit hæc annotatio ex opere quodam cujus tituhus è memoriâ exiit).*

ſub aſpectu, noſtro in climate, poſt impurum concubitum, enodatur; gonorrhææ ſcilicet a noſtratibus *purgacion* & a gallis *chaude-piſſe*; vel bubonum a noſtratibus *incordio* & a gallis *poulains*. Præter hæc ſymptomata ſunt & alia nonnulla quæ ſyphilidem ſolent concomitare, qualia v. g. dolores articulares, cutaneæ maculæ, humorales herniæ, cet. Sed non primis morbi diebus, nec niſi temporis decurſu, ſeriùs ociùs, hæc ſigna evolvuntur fiuntque conſpicua.

Binas in ſpecies gonorrhæa divitur, in benignam nempè & malignam. In primâ, nec dolor ægrum vexat, nec eretiſmus; fit tantùm humoris albeſcentis per urethram effluvium. Hæc ſpontè ac citò deſinit, nullâ malignitate ſtipata. In ſecundâ, viſcoſus humor per urinæ viam deſtillat cum inſuetâ titillatione; quod paulatìm augetur cum calore & dolore; penis obrigeſcit, quandoquè incurvatur vel tenditur ad inſtar tenſæ chordæ, tùncque a nobis *Garrotillo* & a gallis *chaude-piſſe cordée*. Pravus humor gradatìm mordacem acrimoniam ac tenuitatem acquirit & varios induit colores, cinereum nempè, flavum, viridem, ac verè purulentum, maculiſve ſanguineis permixtum: quæ ſymptomata, congruis præſcriptis medicaminibus, paulatìm miteſcunt, humorque ſpiſſitudinem ac albedinem de novo acquirit. Demùm ceſſat deſtillatio, abjectis primùm albicantibus ſtrigmentis in urina conſpicuis.

De gonorrhææ ſede, cauſis, ac de naturâ humoris ſtillantis Limani Medici ſilent; nec mirum, cum de his apùd oculatiſſimos etiàm

priſci continentis Auctores omnis ſit controverſia; cui opinionum diſſenſui tribui debet varia ab ipſis propoſita medendi ratio. Quidam enim in primis morbi ſtadiis ſanguinem mitti volunt; alii cathartica draſtica, alii emetica conſulunt: hinc deductus eſt illuſtriſſimus *D. Peyrilhe*, ùt concluderet gonorrhæam nobis cognitam non eſſe, ejuſque curationem nos latere; ſi illam enim, ait ille, noſceremus, procùl dubio omnes eandem conſtanter ſequeremur methodum, ſecùs verò ſe res habet, & unuſquiſque peculiarem medelam admittit.

Initio curationis gonorrhææ, noſtrates præſcribunt potum copioſum ex decocto radicum malvæ & altheæ, additis ſyrupo altheæ & nitro depurato (*z*); ſuadent etiàm injectiones (*a*) lactis cum mercurio dulci. In ſanguine mittendo cautè procedunt. Aliquas poſt ſeptimanas emulſiones

---

(*z*) A nitri adminiſtratione in gonorrhæâ abſtineant tyrones juniorefque Medici; ſuſpecti enim quid abſcondit.

» Le nitre a été employé d'ordinaire comme un prétendu rafraîchiſſant; mais après beaucoup d'obſervations, je me ſuis convaincu que ſi on en uſe en petite quantité, il eſt inutile; & qu'au contraire ſi on en donne beaucoup, il eſt certainement nuiſible ». *Cullen*, *Med. prat. tom.* 2.

(*a*) Injectionum utilitas obſervationi nititur: non tamen conferunt injectiones oleoſæ aut mucilaginoſæ de quibus clariſſ. *Cullen* (loco citato) ſic: « pour empêcher l'irritation de l'urètre, qui vient de ſa ſenſibilité augmentée, on a mis en uſage l'injection d'un mucilage ou d'une huile douce; mais rarement je les ai trouvé de quelque utilité ». Aſt mercuriales injectiones ab eodem auctore commendantur. « Quand l'inflammation eſt abattue, j'emploie librement les injections mercurielles; je ne fais uſage que de celles qui contiennent le mercure ſous une forme liquide..... Celle que j'ai trouvé la plus utile, eſt une ſolution de ſublimé corroſif, avec ſurabondance d'eau, &c. ». *Cullen.*

ex dictâ decoctione confectas miniſtrant. Dein guttas aliquot balſami copaivæ aut pillulas ex illo & terebinthinâ paratas jubent. Tandem catholicis cum pillulis pharmacopeæ *de Palatios*, addito mercurio dulci a granis ſeptem ad decem, munus adimplent.

Sæpe vidi gonorrhæas, tùm inveteratas, tùm non invereteratas, liquore quodam fermentato *chicha* dicto (*b*) eradicari. Ex hujus autem liquoris miniſtratione, ùt obſervavi, exurgit humoris deſtillatio crebrior, quam ſequitur doloris, ardoris & erethiſmi immunitio. *Chicha* tamen a Medicis non præſcribitur. Utuntur nonnulli ſyrupo ex *ficu indicâ*, a nobis *tunas*, parato. Mirificæ virtutis eſt decoctio radicis cujuſdam quam nos *Jacon* dicimus.

Porrò fluxus gonorrhoïcus ut ſalutaris naturæ criſis intueri debet : atquì quotiès criſis perfectè peragitur, ea ſolis juvanda remediis quæ naturæ vires obſecundant. Ex illo forsàn intuitu deductus fuit illuſtriſſimus *Cullen* ut ſolo regimine refrigerante gonorrhæam debellare ſuaderet.

Quotieſcumquè dolor, ardor, erethiſmus, pulſus durities, cet. urgent ; confeſtim vena ſecanda: tunc a perſpicaciſſimis clinicis *Cullen* & *Svédiaur* (*Schwediaver*) probatur ſanguinis

(*b*) *Chicha* liquor eſt fermentatus qui ex tritico indico *Maïs* dicto conficitur modo ſequenti. In *Maï* arte promovetur germinatio, quâ peractâ, cereale illud ſolis calore exſiccatur, dein contunditur & cum ſyrupo quodam feculento ex ſaccari purificatione reſiduo, a gallis *Melaſſe*, ab hiſpanis *Miel* vocato, ignis actioni exponitur ùt ebulliat per ſex horarum ſpatium ; demùm liquor percolatur & fermentationi ſubjicitur.

miſſio localis : tunc etiàm ab iiſdem & a clariſſimo *Peyrilhe* opii diſſolutio, tùm intùs, tùm extùs, ùt mirum ſedans, valdè commendatur.

Si morbifica materies liberè non fluat, ſtimulantibus, draſticis, cet. Prudenti tamen conſilio miniſtratis, localis promovenda eſt inflammatio. Si vero ritè fluat humor, ſed adſit conſtipatio; valdè proderit leve purgans medicamen. Si in primis viis ſtet gonorrhææ fomes noxius, emeticum opportunum erit auxilium.

In gonorrhææ curatione nullo modo ſub nullâque formâ prodeſt mercurii miniſtratio, niſi gonorrhæa ſyphilidis comes ſit; quippè nullam poſſidet mercurius vim ad gonorrhæam debellandam. Hanc doctrinam profitetur feliciſſimus Limanus clinicus mihique dilectiſſimus D. D. *Joannes de la Roca*; igitùr dùm injectiones ex lacte & mercurio dulci apud noſtrates miniſtrantur, illud fit, ùt fluxus gonorrhoicus foveatur, non verò ùt gonorrhæa debelletur.

Chirurgicas perſcrutationes deſpicientes Limani Medici, in inguinalium bubonum origine ac naturâ indagandâ minimè, aùt ſaltèm parùm hucuſquè fuerunt ſolliciti : aſt cùm talis enodatio multùm ad praxìm conferat, illam obiter attingere conabor.

Inguinalium bubonum ſedes eſſe poteſt, vel in textu cellulari, vel in glandulis inguinalibus; undè bubonum primaria diviſio in cellulares & glanduloſos.

Glanduloſi bubones, vel idiopathici ſunt, vel ſympathici. Quandò nempè ſyphilitica lues,

vaſculorum ope lymphaticorum, ad glandulas uſquè inguinales devehitur; ibì fiunt tumores quos clariſſimus *Svédiaur* idiopathicos bubones nuncupat. Quandò verò lues in corporis peripheriâ hoſpitatur, ibìque orificia vaſorum lymphaticorum irritat, abſque abſorptione; vaſa illa irritata, tumorem (per conſenſum) determinant in glandulâ lymphaticâ viciniori ad quam tendunt: talem tumorem, bubonem ſympathicum dicit *Svédiaur*.

Cellulares bubones in textu cellulari efformantur, illæſis glandulis.

Poſſunt etiàm oriri bubones a lue ſyphiliticâ ex communi maſsâ in glandulam affectam depoſitâ; de hoc verùntamen inter ſe non conſentiunt auctores; ſed hæc dubia non me movent; certum enìm eſt bubones ſyphiliticos quandoquè ſcaturiginem ducere a toxico in communi humorum oceano diffuſo, hoſpitante, & cum illo circulante; quod toxicum multiplici viâ in quamplurimis, forsàn etiàm in omnibus, corporis partibus transferri & ſtaſes efformare valet: jugis namque docet obſervatio, pulmones, cerebrum, hepar, abdomen, cet. a viru venereo infeſtari; undè phtiſis venerea, cephalalgia, congeſtiones hepatis, cet. Varias etiàm cutis affectiones virus venereum producit, quales ſunt cutaneæ maculæ, puſtulæ, ſcabies, ulcera, cet. Quæ conſiderationes maximi momenti ſunt in praxi, ùt ritè adimpleantur variæ indicationes curatoriæ.

Ad medelam; noſtrates Chirurgi antiquorum veſtigiis

veſtigiis inſiſtentes bubonum reſolutionem damnant, & topicis emollientibus, cataplaſmatibus, cet. Suppurationem promovere conantur; quem proceſſum improbare non dubito. Utilem valdè reſolutionem obtineri docet egregius *Svédiaur*, ope frictionum mercurialium ad lateris affecti femur aut crus; hancque, ſimpliciſſimam ſanè, methodum conſtanti firmari experientiâ teſtatur: hujus celeberrimi auctoris opinionem & artem eò libentiùs amplector, quòd hæc rationi planè conſonant, experientiâ quotidianâ comprobantur, & lymphatici ſyſtematis notione, enodatione firmantur, ùt apparebit, notante *Svédiaur*, ex tabulis D. *Sheldon*, lymphatici ſyſtematis anatomen, morborumque ex illo procedentium deſcriptionem præbentibus (*c*). Peritus Monſpelienſis Chirurgus *Goulard*, in opere cui titulus eſt, *Traité des effets des préparations du plomb*, (opus illud Hiſpanico idiomate verſum fuit ſub

(*c*) Interìm, de ſyſtematis lymphatici delineatione ac functionibus, conſuli poſſunt præclari viri *Martin Martinés*, in hiſpaniâ Medicinæreformatoris (1), *Anatomia completa, Noches anatomicas; Belaſco y Villaverde, curſo de operaciones*; *Monro*; *Hunter*, cet.

(1) Ad priſcum ſplendorem Medicinam in Hiſpaniâ languentem meritiſſimus *Martin Martinés* revocavit. Aſt, in laborum præmium adverſariis ſuis dirè vexatus, præmaturâ morte occubuit. *Eſta es una victima*, (inquiebat illuſtriſſ. Marchio *de la Mirandula*, in epiſtolâ ad clariſſ. *Feijòo*), *que la ignorancia ſacrificò a ſu obſtinacion.* D. *Feijòo*, licet victoriosè impugnatus à D. *Martin Martinés*, in reſponſione ad unam ex ſuis litteris, ſic eum alloquebatur, ut legiſſe recordor; *quando yo eſcribì contrà la Medicina, yo creì que me ſaldrian muchos al opueſto; pero yo no creì que me ſaldria el ſabio, el docto, el ſubtil Martines: tu unus pro decem millibus computaris.*

titulo *cirujano inſtruido*) bubonum reſolutionem promovere ſuadet ope cataplaſmatum quibus addit aquam ſale ſaturni vel aliquot ſaturnini extracti guttis ſolutione dealbatam, quam ſolutionem vocat Chirurgus ille aquam *vegeto-mineralem* : ritè miniſtratis ſimùl frictionibus mercurialibus, purgantibusque reſinoſis.

Si verò bubones ad ſuppurationem tendunt, hos ferro aperiendos, ſeu incidendos eſſe volunt Chirurgi, ne fiſtula ſubſequatur aut ulcus in longum protrahatur. Hæc autem operatio, licet non penitùs & ſemper rejicienda veniat, tamen noſtris diebus à peritioribus practicis pro ſuſpectâ habetur ; melioriſque dicitur ominis apertio tumoris a naturâ molita, quam dumtaxàt topicis emollientibus & ſuppuranribus fovere, juvare, promovere bonum eſt : noſtro præſertìm in climate a ferro, quantùm fieri poteſt, abſtinendum eſſe probat obſervatio.

Non minori curâ rejicienda ſunt cauſtica, ut potè valdè noxia : & quidèm dùm D. *Camara*, in tentamine quod propoſuit, pro Baccalaureatu in Ludoviceo Monſpelienſi conſequendo, ſub titulo *De abuſu Mercurii*, in operatione ſuppurati bubonis cauſticum ferro anteponendum dixit ; periculoſam & celeberrimorum tùm Monſpelienſium, tùm aliorum clinicorum judicio methodoque non firmatam opinionem obtulit ; ex cauſtici namque applicatione graviſſima oriri poſſunt mala, qualia tetanus (*d*), cet. noſtris

(*d*) Homo 20 annorum contudit dextram tibiam, quæ indè tumens pugni demùm molem æquabat.... Apertus tumor imprudentiâ

præcipuè in plagis ubi ab ulcere, vulnereve quocumque non rarò fit dirus hic morbus.

De ſyphilidis, generatim conſideratæ, curatione quædam nunc proferre non abs re erit. Inter vegetabilia quibus morbum hunc eradicari voluerunt Medici, primum ſanè locum occupant ligna duo *Guaiacum* nempè & *Saſſafras*; totidèmque radices *ſalſaparilla* (*e*) ſcilicet & *Chinæ radix*; ex quibus ſimùl efformatur ptiſana *Caroli Muſitani* dicta quæ pro potu præbetur. Prætereà nuperrimè D. *Clam*, in itinerario ſuo per Americam ſeptentrionalem, teſtatus eſt hujus regionis indigenas ſyphilidem profligare plantis duabus quarum prima eſt *lobelia ſyphilitica*, ſecunda verò *alurbus inermis*: aſt, cum pace hujus viri & licet harum plantarum antiſyphilitica virtus proclametur in tentamine *de abuſu mercurii* jam citato, earum efficacia ſufficientibus experimentis nondùm firmatur (*f*).

Ad ſyphiliticam luem eradicandam utuntur Limani Medici tùm ptiſanâ *Caroli Muſitani*, tùm mercurio quibuſdamve mercurialibus ſali-

---

balneatoris qui homini ruricolæ lapidem infernalem dederat ut ter de die tumorem indè tangeret..... Acceſſêre ſpaſmi abdominis, quibus demùm reſpiratio anheloſa ſucceſſit, maxillaque inferior obriguit..... Moxque emproſtotonos fit, ſummo cum anhelitu, & tetano maxillæ; qui tetanus ad mortem uſquè plùs minùs duravit. *De Haen, rat. med. tom.* 3, *p.* 104.

(*e*) Nôrunt omnes jàm diù *ſalſaparillam* ſolâ maceratione indigere.

(*f*) La *ciguë*, l'*aconit*, la *lobelia*, ne ſont comptées que depuis peu d'années parmi les antivénériens. L'expérience a fait connoître leur vertu, mais elle ne l'a pas confirmée; c'eſt l'affaire du temps. *Peyrilhe, remed. nouv. contre les malad. vénér. p.* 68.

bus, dulci nempè ſublimato, & corroſivo (*g*). Ptiſana vel minimè aut ſaltèm perparùm ſuccedit.

Argento meliùs perſolvunt omnia vivo
Pars major : miranda etenim vis inſita in illo eſt (*h*) :

mercurius ſiquidèm egregiam, præſtantem, & indubitanter ſpecificam, adversùs ſyphilidem, virtutem habet.

Mercurium præcipuè miniſtrant noſtrates, eximio cum ſucceſſu (*i*), ſub frictionum formâ, juxtà methodum non diſſimilem a Monſpelienſi (*k*) dictâ, quæ nitidè deſcribitur in opere perutili quem edidit feliciſſimus & tùm doctrinæ dotibus, tùm morum honeſtate valdè commendandus Monſpelienſis clinicus D. *Farjon*, ſub

---

(*g*) Mercurium ſublim. corroſivum, ab illuſtr. *Van-Swietenio* aliisque valdè decantatum, nuſquàm exhibui; ſed a noſtratibus Medicis accepi quòd hic eorum ipem & conatus conſtanter fefellerit.

(*h*) *Hieron. Fracaſtorii ſyphilis.*

(*i*) Dom. *De Lamilla*, Limanus, ſyphilide correptus fuit anno 1782, fruſtràque per plantas curationem habuit a plurimis artis miniſtris : igitùr ad me venit, qui, conſentientibus ſapientiſſimo peritiſſimoque Doctore D. *Cano*, ac ſolerti Hiſp. Chirurgo D. *Bocl:* natione Gallo, frictionum ope munus perfectè adimplevi.

(*k*) Methodus curandi ſyphilidem mercurialibus frictionibus, per totam Europam diffuſa & experientiæ firmiter innixa, qualis nunc & jàm diù inſtituit r Monſpelienſibus Medicis debetur. Hæc indubitatè aliis præcellit;

.....Igitùr totum oblinere, atque obducere corpus
Ne obſcœnum, ne turpe puta : per talia morbus
Tollitur, & nihil eſſe poteſt obſcœnius ipſo.
Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.
Hieron. Fracaſtorii ſyphilis.

titulo, *edicament. conſtitutio ſeu formulæ Barbeiraci*, *tom.* 2, *pp.* 103 *& ſeq.* Ptialiſmus, qui frictionum uſum comitare ſolet, in Limenſibus Noſocomiis foveatur, cautè tamen; in urbe verò Limanâ penitùs ſiſtitur.

In balneis, venæ ſectione, & purgantibus miniſtrandis; ad ætatem, ſexum, temperamentum, vitæ genus & ſyphilidis complicationes ſeriò attendatur: nec a mente tranſeat gravis hæc conſideratio, nimirùm quòd, in lue venereâ, cacochilia, cacochimiave potiùs adſunt quàm plethora: attamen cùm per alvinas evacuationes morbus non eradicetur, in hoc draſtica numquàm juvant.

Benigna ſemper, noſtro ſub climate (*l*), ſyphilis eſſe ſolet; nec ibi crebrior obſervatur; nec etiàm graviùs intenditur aut altiùs infixa hæret in ægris ad Noſocomia delatis; nam decimâ vel duodecimâ frictione mercuriali hos perfectè ſanari conſtanter animadverti. Idem a peritis in arte viris accepi. Per trium annorum decurſum, quo tempore in Regio ſequioris ſexûs Noſocomio *Beatæ Mariæ Charitatis* Medici vices geſſi, ſyphilide detentas ægras integrè curatas fuiſſe antè duodecimam frictionem teſtor (*m*): nec poſtremo anno, licet major foret earum numerus, aliter ſe res habuere. Ad

(*l*) Eſt in Peruviâ locus cui nomen *Piura*, ubi ſyphilis ſolo climatis influxu ſalubri profligatur.

(*m*) Conſtat illud ex litteris teſtimonialibus quas excellentiſſimo Proregi dederunt in me Legatus *(Diputado)* & adminiſtratores Noſocomii, menſe Octobris, anni 1782.

cujus rei probationem, ex ſequenti obſervatione de omnibus judicium feratur. *Clara La Parientona*, 23 vitæ agens annos, impuro commercio dedita, gonorrhæâ virulentâ dirè vexata, ulceribus ad vulvæ labia, brachia, frontem & pectus fœdata, ſuâ ſalute diffidens, ad Noſocomium venit : confeſtim illi regimen antiſyphiliticum præſcripſi, poſteàque ad frictiones deveni, aſt nondùm undecima miniſtrata erat frictio, cum ægra perfectè curata fuit ; ac illæſam in poſterum ſanitatem habuit (*n*).

Vaniloquentiâ igitùr & impudentiâ culpandi, contemptuique dicandi ſunt ſcriptores qui, in fictis ſuis & commentitiis itinerariis, luem ſyphiliticam Limæ crebrò admodùm graſſari aſſeruerunt ; nec ſequiorem Limanum ſexum faciei venuſtate, formæ præſtantiâ, ingenii candore & acumine, morum honeſtate, in civili commercio ſuavitate, hoſpitalitate, cet. Valdè commendabilem fœdare erubuerunt. Inter hos non infimum tenet locum fabellator quidam, cui nomen eſt *l'Abbé de la Porte*, qui, in opere quem in lucem protulit ſub titulo *le Voyageur Français*, Limanas mulieres de ſyphilide ſecum invicem indecorè ſermocinari audacter referre non timuit (*o*). Suâ tales ſententiâ judices obruuntur, & quem in alios

(*n*) Vid. Diarium dicti Noſocomii, pro menſe Maii anni 1781.

(*o*) Les Dames en font ſi peu de myſtère, que dans leurs viſites elles ſe demandent des nouvelles de leur V.... & ſe panſent réciproquement de leurs ulcères. *Le Voyageur Français, par M. l'Abbé de la Porte, tom.* 12, *p.* 322.

emiſſum putant, in ſe contemptionis riſum excutiunt.

CAPUT OCTAVUM.

De Scabie.

SCABIES, a ſcabendo vel ſcalpendo, apùd Gallos *galle*, *gratelle*, *rogne*; apùd Hiſpanos *ſarna*; apùd noſtrates vulgò *caracha*; morbus eſt cutaneus, ſive externum corporis habitum inficiens, quo Limani crebrò torquentur.

Impetigo, lichen, vel ſerpigo, pſora, lepra, vitiligo, alphus, leuce, variæ ſunt ſcabiei modificationes, varii ejuſdem gradus, majori minorive intenſitate periculoque donati; non verò morbi varii. Sed ùt nitidiùs percipiatur de quonam cutis vitio ſub nomine ſcabiei nunc agere ſuſcipio; affectûs hujus hiſtoriam breviter delineabo, unde eluceſcet qualis ſcabies apud Limanos obſervetur.

Initio conqueruntur ægri eximio calore ac ardore, ſcabioſæ eruptionis prænuntii; brevi puſtulæ exiguæ, rotundæ, pruritum excitantes exoriuntur, hæ ſenſim multiplicantur, ad cubitos, axillas, crura, genua, femora ſeſe extendunt, deinque cruſtoſæ fiunt, pure ſub cruſtâ latente, quâ ſublatâ & effuſo pure nova efformatur. Tumeſcunt manus non ſecùs ac pedes; peractâ verò exhauſtâve ſuppuratione, puſtulæ

penitùs exſiccantur ſpontèque decidunt cruſtæ. Ultimum tandem ſymptoma quo natura morbi evolutionem molitur, fit per tumores duros, nates aliaſque partes afficientes, quos *Chupos* vocant Limani.

Proxima morbi cauſa pro naturæ arcano haberi debet : hæc, miaſma peculiare, ſeù, ùt clariſſ. *Lorri* placuit, venenum ſui generis dici poteſt : aſt talibus, cùm ſint meræ voces, res non elucidatur.

Plurima verò dantur hujus cauſæ remotæ ſeu occaſionales : victus nempè pravus, craſſus; aëris intemperies; vita deſes; animi pathemata; ſuppreſſæ evacuationes, præſertim cutaneæ; virus quoddam, præcipuè venereum; cet. Veteres, indefeſſi naturæ ſcrutatores, bilioſum humorem inter ſcabiei cauſas, rudimenta, annumerârunt, & meritò quidem, magnam enim eſſe hepatis cum cute correlationem invictè comprobatur eo quòd a quolibet hepatis affectu cutis fœdatur : prætereà experientiâ conſtat quòd ſubjecti in quibus bilis prædominium tenet, ſcabiei obnoxiores ſunt. *Acaros* inter cauſas ſcabiei recenſere quibuſdam placuit; aſt hæc opinio inter vanas luxuriantis ingenii illecebras annumeranda, & ad nugas *Leuwenhoeckianas* mittenda : fatendum tamen *acaros* in puſtulis ſcabioſis quandoquè nidulare, verùm exindè minimè deducendum quòd hæc animalcula ſcabiei rudimenta ſint, niſi effectus pro cauſâ habeatur.

Ad methodum curatoriam, Limani Medici, primo & ſecundo menſe, ſcabioſis tenuem,

dulcem ac vegetabilem victum præcipiunt, modicumque exercitium, ùt perſpiratio ſuſtineatur vel promoveatur & ſimùl foveatur eruptio, quâ congruè ſtabilitâ, ſerum lactis cum cremore tartari & terris abſorbentibus miniſtrant, vel ſcorzoneræ noſtratis decoctum imperant: quibus præmiſſis, ſal catharticum quoddam, in ſcopo purgandi, jubent. Sanguinem mittendi indicationem deſumunt ex morbi genio & aliis circumſtantiis. Dein cum lardo, (ſeu axungiâ porcinâ non ſalitâ) a nobis *unto ſin ſal*, in aquâ vitæ infuſo, partes ſcabioſas fricant, inunguut; quâ unctione ardor lenitur. Iterato poſthæc purgante cum dicto ſale, ſerum lactis cui admiſcentur flores ſulphuris præbent. Tandem unguento pro ſcabie cura perficitur. Auxiliantur etiàm, in certis caſibus, balnea integra, præſertim marina, ſicut & balnea localia ſeu immerſiones locales in decocto plantæ cujuſdam a noſtratibus *Yerba Hedionda* dictæ, quæ ſimilis eſt plantagini latifoliæ. Frequenter etiàm miniſtratur methodus a D. *Goulard* præſcripta. Si dictâ medelâ ſcabies non eradicatur, mercurialia ad uſum vocantur. *Contrayervam*, in ſcabie, feliciter adhibui.

Quandò apparent in fine morbi tumores *chupos* dictos, de quibus ſuprà, a congeſtione materiæ lymphaticæ, craſſæ admodùm & glutinoſæ; nihil horum maturationem efficaciùs promovet quam *Floripondii* flores qui mirè proſunt in genere adversùs tumores omnes quos citò ad ſuppurationem deducere præſtat, quales carbunculi, cet.

Apud Europæos, *ſolani ſcandentis*, ſeu *dulcamaræ* anti ſcabioſam virtutem ſummè protulit D. *Carrere; pulſatillæ* ſeu *anemones pratenſis pedunculo involucrato*, *petalis apice reflexis*, *foliis bipinnatis*, D. *Bonnel de la Bragereſſe; plumbaginis Europææ* ſeu *dentellariæ radicis*, D. *Sumeire; orni pyramidalis* corticis, alii. Quæcumque tamen dicta fuerint; nullum dari univerſale genuinumque adversùs ſcabiem ſpecificum, nullamque methodum vi directâ huic morbo oppoſitam, perſuaſum mihi eſt: qui aliter cenſent, & ſcabiem pro ejuſdem conſtanter indolis morbo habentes, eandem ſemper & ſibi ſimilem in illâ medelam præcipiunt; falluntur: ſcabies enim dici debet latentis cauſæ phœnomenon, quod niſi ritè perpenſis variis morbi circumſtantiis & characteribus, legitimèque deductis indicationibus tùm a juvantibus, tùm a lædentibus, felicitèr propugnari, radicitùſque deſtrui poteſt.

CAPUT NONUM.

De morbo ſeptem dierum, ſeu de Peruanorum infantium neonatorum morbo quodam convulſivo graviori.

NEONATORUM morbus qui meis jàm laboribus materiam ſuppeditat, a noſtratibus *mal de ſiete dias*, ò *herir*; à gallis, *la ſarrette*; à Gallo-Americanis, *mal de machoire*; à Noſologiſtis Medicis, *triſmus naſcentium*; à reliquis auctoribus, *epilepſia*, *elcampſia*, *tetanus*, cet. nominatur: à *tetano* verò ſub quodam & forsàn præcipuo aſpectu differt morbus noſter; in illo enìm corpus non obrigeſcit, nec anticè nec poſticè convellitur. Ut igitùr dubium omne tollatur, hunc, morbum ſeptem dierum, ſeu, ex *Williſio*, neonatorum morbum convulſivum dico.

Ille morbus recens natos corripit à die ortûs primâ ad ſeptimam, ultrà quam hoc immunes evadunt ſalvique; quod ipſe *Ariſtoteles* ſuo jàm tempore obſervaverat, *ſolent pueri*, inquit, *convulſione excipi..... Plurimi ante ſeptimum diem intereunt, unde fit, ut nomina ſeptimo die imponantur, tanquàm ſaluti jàm pueri magìs credamus* (*p*).

(*p*) *Ariſtoteles, de Hiſt. Animal. lib.* 7, *cap.* 12.

Peculiaribus his ſignis caracteribuſve morbus hic ſtipatur : oculi inverruntur & motibus inordinatis agitantur ; palpebræ labraque tremunt ; os ſpumâ impletur ; non admodùm difficilis deglutitio, ſed ſuctus ut plurimùm impeditur ; totum corpus ſubſilit ; indureſcit abdomen ; cet. Nec miteſcunt hæc ſymptomata quæ tandem ſopore mortis prænuntio terminantur. Inſuper morbum præcedunt & nuntiant fletus, qui non intermittunt etiamsi infantes ubera trahant, oculorum leves ſubſultus, faciei pallor, ſomnuſque brevis & interruptus.

Ad pathologicam nunc therapeuticamque affectûs hujus diſquiſitionem tendens ; dubio, timido, ceſpitanteque pede procedo, ut qui atrâ caligine involvitur filoque caret ductori : a noſtratibus enim ne leviorem lucem depromere datur, cùm nullum ſcriptum protulerint, taleſque patientes deſperatos habeant & incuratos diis votiſque relinquant : nec multò magis auxiliantur, tùm operibus, tùm documentis, Europei Medici ; in illâ nempè mundi plagâ affectus hic non frequenter obſervatur, & in foro Medico pariter non judicatur. Igitùr in re admodùm abſtrusâ probabiliora aſſequi forsàn ſatis erit.

Sævus ille morbus noſtro ſub jove endemicus & frequens valdè, ibi pendere videtur a læſionibus quas patiuntur infantes, tùm per geſtationem, ex parte matris gravidæ ; tùm in partu ; tùm poſt partum : quibus jungi poſſunt climatis influxus & parentum prava conſtitutio (q). Et

(q) Notatu dignum ſanè quòd in noſtris regionibus ſeu in Ame-

1°. Mulieres noſtræ habitu corporis molli, laxo, flaccido; temperamento, organis debilibus vitæque muniis obeundis impariibus donatæ; tales fiunt, ut jàm dixi, a vitâ deſide; ab exercitii defectu; a conſuetudinis & præjudicatarum opinionum imperio; a victu pravo, craſſo, ſucculento, vel aquoſo nimis; cet. Præterea capſico (*r*), piperatis, omniſque generis aromatibus, & ſimilibus aliis ſubſtantiis, principiis acribus, oleoſis, volatilibus, æſtuoſis, phlogiſticis conflatis, ſcatentibus, abuntur; nulloque tempore magis quàm per geſtationem; undè pronæ fiunt hæmorragiis uterinis quibus non rarò, Limæ, in parturientibus cum ſanguine vita exhauritur. Talem diætam ſpaſmos etiàm & contractiones producere docent omnes pathologici. Non meliùs ſe gerunt noſtrates mulieres dùm cæco cuidam pravæ noxiæque phantaſiæ impulſui obſequentes, oblectaminis gratiâ, ingentem ambaris (*s*) moſcique copiam tùm intùs tùm extùs abſumunt, ſicque vivæ quasi condiuntur: has enim ſubſtantias omnibus eduliis,

---

rica Hiſpanienſi dicta, morbus ſeptem dierum infantes albi coloris potiſſimùm invadit, dùm in *Guyanâ* & aliis Americæ locis nigritas tantùm corripit.

(*r*) *Capſicum majus*, a noſtratibus *ajìi*, quod nomen certè Peruvianum eſt, Hiſpanicè *Pimiento*; *capſicum minus*, Peruviano idiomate *Arnaucho*: hos fructus crudos edunt Peruani, vel ex illis varias condiunt eſcas.

(*s*) Perperàm, ut puto, aſſuerunt Auctores quidam, inter quos indefeſſus naturalium rerum ſcrutator *Linnæus*, ambarum ad longævitatem conferre, talemque opinionem firmare voluerunt exemplo *celſiſſimi & illuſtriſſimi DD. Ducis de Richelieu, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis exercituum caſtrorumque ſummi præfecti* vulgò, *Franciæ Mareſcalli*, &c.

condimentis, omnique potu admiſcent; eiſdemque comam, partes aurium poſticas, pectuſque illinunt; his etiàm florum utut fragrantiſſimorum, quos in deliciis habent & quibus eleganter ac voluptariè capillos intertexunt veſtitumque condecorant, ſinum conſpergunt; nec parciùs tincturâ ambari ſeſe, veſteſque ſuas inungunt. « neque, ut ingeniosè protulit eruditiſſimus *Plazius* (*t*), quanti hæc gaudia, principium ſæpè doloris poſtmodùm venturi futura conſtent, a ſequiori ſexu perpenditur..... Nervi *ſiquidèm* magis ſic irritari poſſunt, quam fœtore naribus attracto... Indè & eſt quòd minùs feliciter ſanitati ſuæ proſpiciant, quibus veſtimenta, chirotecas, caliendra, linteamina, variorum artificiorum ope, dulci odore replere, volupe eſt, cùm nec ſemper benè valeat nec omnibus benè oleat qui ſemper benè olere cupit » Quaſnam autem indè læſiones pati debeat tenerrimus infans in utero incluſus & cum matre ſtrictiſſimo nexu adunatus, præjudicare facillimum eſt.

2°. Quandiù in materno ſinu occluditur infans, præter organa muliebria, involucro peculiari cingitur duplici membranâ conflato quarum exterior *chorion*, interior autem *amnios* vocatur. Intrà cavum hujus involucri continetur liquor tenuis, mucoſus, fœtum in ipſo innatantem ambiens, vel, ut quidam volunt, in ejus pabulum, vel potiùs ut liberè creſcat atque a compreſſione, attritu, vi, læſioneve quâcumque

(*t*) *De jucundis morborum cauſis.*

externâ immunis eſſe poſſit. Nondùm adhuc per ſe, ut ità dicam, exiſtit infans; nullas forsàn propriè loquendo exerit functiones; alimentum haurit ex matre, conſortii & quidèm adunationis lege; peculiari circulo ſanguis in illo movetur; cet. Aſt primo partûs inſtanti, ubi fœtus vinculis carcereque ſolutus in lucem exit, omnia hæc immutantur: reſpirationem, digeſtionem, ſimileſque cæteras organicas functiones, quales erunt in poſterùm & per integrum vitæ decurſum, gerere neonatus incipit: celeriùs tamen in eo micant arteriæ fitque reſpiratio; aſt his phœnomenis, quæ ſtatum quemdam quasi morboſum conſtituunt, naturæ, partium, organorum evolutionem agentis, conatus prodeunt: fluidum elementum quo cingitur & in quo movetur ac vivit toto cœlo diſcrepat ab illo qui peripheriam corporis embrionis fœtûſve in ſinu materno incluſi ambiebat: vaſa ejus ſuccis turgent glutinoſis & crudis quibus repurgari debent: totum neonati corpus muco ſeu vernice quâdam *caſeosâ* obducitur, quæ, niſi probè detergeretur, morborum fons foret: & cùm prætereà, in illo novo ſanè rerum ordine, non progreſſivo inceſſu, ſed præcipiti ſubitaneove quasi ſaltu ſit tranſlatus infans; ſcopulis undequaquè circumdatus, exquiſitiſſimâ ſenſibilitate præditus; multimodè & radicitùs affici poteſt a quâlibet prævià causâ, ſed à nullâ magis quàm ab aëre cujus inſuetam impreſſionem ferre nequiret forsàn neonatus, ni vi caloreque vitali foveretur, & ni arte ac obſtetricium curâ ab ejus actione ſubtraheretur. Et verò aër tenerri-

mum, molliſſimum & quasi ſpongioſum infantuli neonati corpus undiquè feriens, in illoque per reſpirationem ac penetralia cutis hiantia valdè irrumpens; tùm temperiè ſuâ, tùm mutationibus, viciſſitudinibus quas experitur de calido in humidum, tum pravis quibus plerùmque inficitur miaſmatibus, noſtro ſaltèm ſub jove, graves determinare poteſt læſiones: non modò enim partes debiliſſimas adhùc magis ac magis relaxat; ipſarum evolutioni, incremento obſtat; perſpirationem neceſſariam valdè & purgatricem inhibet, humoremque illum ex peripheriâ cutis exhalantem intùs repellit; ſed etiàm ipſemet ad interiora ſuctu quodam vel abſorptione raptus, ſecùm ibi defert, tùm ad organa nobiliora, tùm ad humorum oceanum, prava quibus onerantur miaſmata putrida, mephitica, quoquomodòve deleteria; undè lethales congeſtiones, convulſiones, ſpaſmi, aliæque plurimæ ſtrages. Sic obſervârunt omni ævo clinici morborum variorum & quidèm peſſimæ indolis ſcaturiginem involvi in aëre impuro, tetris effluviis inquinato qualia ſunt quæ emittuntur, extricantur è locis paludoſis; è cadaveribus putredine ſolutis; è ſtercorariis; è corporibus putridâ, malignâ, peſtilenti lue conflictatis, cet.

Eiſdem nixus rationum momentis, perſuaſum habeo præcipuas inter cauſas quibus, apùd noſtrates, tribui debet lethalis neonatorum morbus convulſivus de quo hìc quæſtio eſt, annumerandum eſſe rorem aërium a quo magnâ curâ removeri debent infantulorum corpora

textûs

textûs ſpongioſi, patuli & delicatioris; hic namque deleteriis ſcatet principiis &, ut jàm ſuprà ex magno *Boerhavio* retuli (*v*), *verum cahos edit.* cet. « Cum rore maximè & nebulâ, ait *Hofmannus*, exhalationes naturæ humanæ infenſiſſimæ ad inferiora deſcendunt, & vel animantibus vel frugibus nocent..... peccat ut plurimùm, *ros*, ſale quodam ſubtili cauſtico, quo etiàm hominibus nocet; legi hâc in re poteſt *obſ.* 93, *miſcell. nat. curioſ. dec. III. A. IX & X.* Ubi commemoratur quod ejuſmodi rore guſtato, ulcuſcula in labiis ſuſcitata, & qui nudis pedibus inceſſerant, puſtulis, & ulcuſculis nigricantibus indè vexati, quidam vero febribus ardentibus correpti fuerunt. Et profectò dyſenteria epidemica, quæ inter initia autumni poſt ferventiſſimam æſtatem graſſari ſolet, plerùmque eſt adſcribenda corroſivo rori, qui partìm fructus inficit, partìm corporis humani poris ſeſe inſinuat » (*x*). Prætereà experientiâ comprobatur ophtalmiis, dyſenteriis, cet. Cruciari qui, Limano in cœlo, aëri nocturno exponuntur. Nec igitùr ſolùm intemperie ſuâ infenſus dici debet aër, morboque noſtro convulſivo producendo idoneus; nec quià humidus & perſpirationem ſiſtens vel repellens (ut quibuſdam viſum eſt;) verùm & præcipuè, ex mephitico caractere. Non enìm omnis aër qui a mare ſpirat, licet humidus,

(*v*) Vid. ſuprà ad paginam 89.

(*x*) *Friderici Hofmanni opera omnia Phyſico-Med. tom.* I, *p.* 211.

corpora lædit ; ſed tantùm qui indè per paludoſa loca tranſiens, ipſorum tetras rapit, deverrit & ſecum defert eructationes : ſic locus *Mira flores* dictus, in Peruviâ, licet mari vicinus ſit & ventis a mare flantibus exponatur, atmoſphærâ gaudet ſaluberrimâ, ità ut, ibi, febribus intermittentibus, pectoris affectibus, cet. detenti, ſpontè ad perfectam ſanitatem reſtituantur, nec ullus unquàm obſervatus fuerit tetanus : dum *bella viſta o puerto del callao*, venti qui a mare flant, paludes trajicientes, inficiuntur, inquinantur, morborumque jàm dictorum ſicùt & plurimorum aliorum ſemina ſpargunt.

3°. Prima noſtratium obſtetricium cura in eo ponitur, ut mox a partu, loci in quo jacet puerpera januas & feneſtras perfectè occludant & carbones in eo accendant : per combuſtionem autem è carbonibus extricatur virulenta mephitis, quæ, in aëre ſparſa, ipſum deleterium reddit. Aſt neonatis apprimè neceſſarium eſt auram ſpirare & abſorbere ſalubrem, puram, elatere perfecto præditam, probèque dephlogiſticatam; noxas igitùr multas & graves experiri debent ex dictâ methodo. Et verò, non in hoc ſolùm imperitè damnoſèque ſe gerunt obſtetrices : infantulo in lucem prodito, illi ſugendum præbent, mòx, feculentum quoddam reſiduum, ſeu potiùs magma, ſaccarinum, a nobis *miel*, a gallis *melaſſe*, dictum ; dein, oleum amygdalarum dulcium cum ſyrupis roſarum & rhabarbari : his *meconium* expelli credunt ; verùm falluntur : neonatorum enim ventriculus debilis

admodùm & ſubſtantiis talibus detrudendis impar, illas cum *meconio* ſimùl retinet; hinc nervorum vellicationes, irritationes; hinc dolores, ſpaſmi, convulſiones (*y*); hinc tandèm malorum fons.

Forfice diſcinditur funiculus umbilicalis, ſicque vulnus efficitur quod aëris afflatu contaminatum, motus inordinatos, convulſiones producere poteſt, non ſecùs ac, in adultis, a vulneribus *tetanum* oriri obſervatur. Non tamen forsàn ſilentio prætermittendum quòd auctores nonnulli, famâ quidèm inſignes, contenderint vulnus, funiculi umbilicalis exciſione, neonato inflictum, aſſimilari non poſſe vulneribus ex quibus, apùd ætate provectiores, fit *tetanus*; nam, inquiunt, morbo neonatorum convulſivo locum dare non poteſt vulnus funiculi, niſi ex irritatione a forfice reſecante peractâ; verùm ut fieret talis irritatio, neceſſum foret ipſum funiculum umbilicalem irritabilem eſſe, &, prætereà, irritationem in illo factam, ad corpus uſquè neonati transferri; quòd fieri nequit niſi nervorum ope, quibus tamen orbatur funiculus: aſt nullius ponderis eſſe hoc argumentum exiſtimo; ſiquidèm, 1°. Etſi nervis omninò deſtitueretur funiculus umbilicalis, quòd minimè demonſtratum habeo, non indè concludendum foret nullam ipſi irritabilitatem ineſſe; nam &

(*y*) Si enim non evacuetur debitè, meconium, prolabitur poſthac in corruptelas valdè acres, quæ non ſolum graviſſima tormina, cum excrementis inſuper tetris, ſed ſubindè etiàm convulſiones infantibus inducunt. *Stahl. theor. med. vera, p.* 389.

tendines, & ligamenta, & membranæ, & etiam muſculares fibræ, certis ſtimulis vellicatæ, irritatæ, ſenſibilitatis, irritabilitatiſque non dubia ſigna præbent. 2°. Nervi exquiſitiori irritabilitate ſunt præditi, ſed non irritabilitatis ſenſibilitatiſque propria & peculiaria ſunt organa; unaquæque enim corporis pars ſuâ donatur vitâ, ſuâ ſenſibilitate, irritabilitate ſuâ. 3°. Funiculo illatam læſionem, irritationem, ad neonati corpus ſerpere, communicari, clinicorum experimentis obſervationibuſque comprobatur.

Summum ſanè minatur periculum *morbus ſeptem dierum*; non tamen tantam, apud noſtrates, perniciem infert, quantam in inſulâ *Cayenâ* ubi vix tertia pars neonatorum ex illo ſalva evadit.

De therapeiâ jàm dicturus, a prophilaxi exordiar. Abſtineant Limanæ mulieres, præſertìm per graviditatem, a victu acri, aromatico, æſtuante; a potu liquorum ardentium, ſpirituoſorum, a *tafia* præprimis ſeu *guarapo*; ſuſpicatur illuſtriſſimus *Sauvageſius* liquorem hunc noſtratibus *tetanum* inferre: vitam degant alacrem, ideòque, bonâ confeſſariorum ſuorum veniâ, prægnationis decurſu, a præconum piis concionibus abſtineant; notum enim & conſtans eſt, apoſtolicarum miſſionum tempore, noſtratium mulierum mentem divinis præconum colloquiis adeò commoveri, ut plerùmque, in ſacris ædibus convulſivis inſultibus corripiantur, magno prægnantium damno.

Conclave ubì cubat puerpera mephiti probè repurgetur; nec florum, plantarumve graveo-

lentium faſciculis ornetur, odoramenta enim capiti generique nervoſo inimica ſunt, eòque magis quò copioſiora & quò fragrantiora. Feneſtræ ejus ad auſtrum, non verò ad aquilonem noſtro ſub cœlo inſalubrem, vertantur; non carbones in ipſo accendantur; nec per partum renovetur aër.

Ne ultrà modum & imperitè obſtetricibus divexentur ac debilitentur parturientes.

Funiculo ad quatuor ſaltèm digitorum tranſverſorum ab umbilico diſtantiam deligato, forfice obtusâ ponè ligaturam diſciſſo, cer. linteo ſtatim involvatur probèque ab aëris noxii contactu muniatur. Si, ex funiculo, antè ligaturam ejus & ſectionem, levi digitorum preſſione ab umbilico ad locum uſquè deligandum peractâ, pellitur ſanguis vel fluidum omne ad albedinem uſquè, quòd gallicè dicitur *blanchir le cordon* (z), a *triſmo* (*morbo ſeptem dierum*) immunis evadit neonatus, teſte peritiſſ. Chirurgo D. *Bajon* (*a*), qui praxim hanc per multos

(z) Hanc methodum graphicè, ut ità dicam, delineavit ſocietas regia Med. Paris. In opuſculo quem edidit ſub hoc titulo: *Projet d'inſtruction ſur une maladie convulſive*, &c. *p.* 54. his verbis: « Après la naiſſance de l'enfant, & avant de lier le cordon ombilical, on prendra légèrement ce cordon entre les doigts, on le fera deſcendre depuis le nombril juſqu'au deſſus de l'endroit qu'on voudra lier; on fera en deſcendant une preſſion légère & ſoutenue ſur tout ce trajet du cordon; on repouſſera ainſi le fluide qu'il contiendra: on répétera cette opération juſqu'à ce qu'il n'y reſte plus de ſang, & que le cordon ait pris une couleur blanche; on mettra alors la ligature ſur la portion du cordon qui ſera blanche; on le coupera; on couvrira tout de ſuite la partie coupée avec un linge ou de la charpie ».

(*a*) *Mémoires pour ſervir à l'Hiſt. de Cayenne & de la Guyane Françaiſe*, *pp.* 158, 167.

annos integro cum ſucceſſu miniſtravit ; ut ipſe refert. Eundem morbum præcaveri aſſerit clariſſ. D. *Laborde* (*b*), ſi vulneri funiculo umbilicali per ſectionem inflicto admoveatur topicum medicamen ex theriacæ ſemunciâ, opii in vino ſoluti grana quatuor & camphoræ grana quindecim confectum : minimè autem præſtare per ſe, id eſt virtute quâdam propriâ & ſpecificâ, mihi videtur topicum illud, nec niſi in quantùm aëris contactum a funiculi vulnere prohibet. Idem cenſent viri Academici mox citati (*c*).

Ne, mox a partu, faſciis arctiùs cingatur & comprimatur tenerum ac molle neonati corpus. Novus ille telluris incola, vinculis pauliſper ſolutus, alio rerum ordine, alio elemento, aſſueſcat ; & reſpirationis ac circulationis functiones liberè exequatur. Linteis igitùr molliter & laxè tantùm involvatur.

Mucus, ſeu materies viſcoſa quâ obvolvitur infantulus cum in lucem prodit, probè detergatur (*d*).

(*b*) Ut refertur in ſcripto prolato a Societate Regiâ Med. Paris. De quo ſuprà.

(*c*) « Il y a quelques faits qui pourroient paroître prouver qu'il ſuffit de garantir la plaie du cordon des impreſſions de l'air extérieur, pour préſerver les enfans du *mal de mâchoire*. Nous apprenons de M. *Bajon*, que les Indiens de l'Ile de Cayenne oignent le corps des enfans, pendant les neuf premiers jours de leur naiſſance, avec une ſubſtance graſſe & huileuſe, pour les mettre à l'abri des impreſſions de l'air ; que dès qu'ils ont fait la ſection du cordon ombilical, ils appliquent tout de ſuite ſur l'ombilic un emplâtre agglutinatif, dans la vue d'empêcher l'air d'agir ſur les vaiſſeaux coupés, & qu'ils ne perdent jamais un enfant du *mal de mâchoire*, &c » *Projet d'inſtruct. ſur une malad. convulſ. demandé par le Miniſtre de la Marine à la Société Royale de Médecine*, *p.* 39.

(*d*) « Quelques enfans ſont, à leur naiſſance, plus enduits que

Ne ipſi, ullâ ratione, præbeantur ſaccarinæ feces (*miel*, *melaſſe*) principiis acribus, cauſticis, a calce & alcalinis, lixivialibus, ſalibus ſcatentes; nec oleum amygdalarum dulcium cum ſyrupis purgantibus; nec ſimilia: ſed primum matris lac, *coloſtrum* dictum, ſugat neonatus; nil enim ipſi dari poteſt præſtantius (*e*). « Expurgari omninò, inquit *magnus Stahlius*, ex inteſtinis fœtus debet ſaburrâ illâ *mucoſo biliosâ meconii*; utpotè certas alias, cum lacte concurrendo, & graves quidèm ſubindè turbas minitans. Huic quidèm rei apprimè proſpexiſſe videtur ipſa *natura*, dùm antequàm *ſpiſſum* & valdè *alterabili* conſiſtentiâ imbutum *lac* per meatus mammarum ſufficienter diſtentos penetrare poſſit, interìm ſeroſa quædam proluvies tenuior, non omni tamen tali lacteâ alterabili ſubſtantiâ deſtituta, primò prodeat, quam *coloſtrum* vocant. Aversantur vulgò mulieres delicatiores, & suà opinione prudentiores, hujus ut arbitrantur *impuri* atque magìs *tetri* lactis exhibitionem, & damnum indè aliquod metuunt

---

d'autres, d'une matière épaiſſe, viſqueuſe, qui eſt ſi colée à la peau, qu'on ne l'en détache pas toujours facilement par les lavages. Cependant c'eſt un point de la plus grande importance, relativement à la tranſpiration, car elle ne peut ſe faire convenablement, lorſque la peau reſte trop chargée de ſaletés ». *Traité des Maladies des Enfans, par M. Underwood, D. M. trad. de l'Anglais, par M. Lefebvre de Villebrune, p.* 379.

(*e*) « La réſidence de cette humeur *(du méconium)* occaſionnera moins d'inconvéniens, qu'il n'en réſulte de l'acrimonie des purgatifs qu'on fait prendre aux enfans. Le meilleur moyen d'en procurer l'évacuation, eſt de mettre l'enfant au ſein ſans beaucoup attendre ». *Ex Hamiltone, D. Lefebvre de Villebrune, in verſione operis D. Underwood, mox citati, p.* 14, *ad notam.*

infanti : ſed reverâ contrà naturæ inſtitutum, quo potiùs hæc materia abſtergendo atque proluendo *meconio* rectè ſubſervit » (*f*).

In puerulis hereditariè huic morbo obnoxiis, inſultus convulſivi optimè præcaventur, juxtà *Williſium*, ſi, mox a partu, fontanella in nuchâ excitetur, & ſanguis hirudinum ſuctu è venis jugularibus detrahatur. *Hiſce adminiſtrationum modis*, ait ille, *cùm priùs duo aut tres ejuſdem parentis nati brevì poſt partum convulſi interiiſſent fœtus, omnes alii ab eodem malo liberabantur* (*g*).

Jam verò, ad medelam ipſam, bonâ judicum veniâ, pauca proponere liceat.

In morbi curationem, ut magnus docet *Boerhavius*, *perveſtigenda priùs eſt cauſa ſingularis, & locus primariò affectus, undè convulſio ortum habet : deindè ociùs medicamenta applicanda illa in quibus acre lenire, impactum reſolvi, contractum laxari poſſit.* cet. Summâ igitur curâ, ſummâ attentione inquirat perpendatque Medicus quidquid ad morbum ſpectat; *nàm*, ut verbis utar *Van Swietenii*, *quod in uno caſu ſanationem, in altero ſæpè mortem faceret.*

Nihil, ut mihi videtur, morbo noſtro *ſeptem dierum* proficuum analogiâ deduci poteſt ex methodo apùd noſtrates uſurpatâ adversùs convulſivos affectus quibus corripiuntur lactentes & provectiores ætatis infantes; cùm ipſis illa

(*f*) *Stahlii theoria med. vera*, *p.* 393.
(*g*) *Thomæ Willis opera med. & phyſ. tom.* 1, *p.* 468.

methodus inanis ſit minimèque ſuccedat. Porrò convulſis his præbentur cathartica, cataplaſmata emollientia ventri applicata, aqua pulli, enemata purgantia, ſyrupus de pæoniâ, pulvis *Riverii*, cet. & ſi morbus non cedat, venæ ſectio, balnea, veſicantia, cet. ſed incaſsùm, ut dixi.

Plures tùm Galli, tùm Angli Medici, qui *triſmum naſcentium* in variis orbis regionibus obſervârunt, nonnulla in eum propoſuerunt auxilia quorum vim & efficaciam commendârunt. Inter hæc non infimum tenet locum opium: verumtamen medicamen hoc, quod ſanè præſtat adversùs *tetanum* & alios adultorum convulſivos affectus, non æquè ſucceſſiſſe videtur in neonatis; ſaltem non ab auctoribus unanimi voce laudatur. D. *Lionel Chalmers* (*h*), ob teneram parvulorum ætatem, opium ipſis non convenire exiſtimat. Contrarium aſſerit D. *Hillary*, qui ſubſtantiam hanc fauſto cum ſucceſſu præbuit (*i*). Ut lis hæc dirimatur, ſummâ cum attentione nova tentenda ſunt experimenta, eò fidentiùs quod vi ſedante in gradu evectiori gaudeat opium, & quòd magni morbi debellandi ſunt magnis auxiliis ac in quantitate ſufficiente, licèt teneræ parvulorum ætati accomodatâ. Scire verò oportet, opium in *tetano* vel convulſionibus adultorum nullum ſortiri ef-

(*h*) *Obſervations & recherches Médicales, par une Société de Médecins de Londres. Ouvrage traduit de l'Anglois par M. Bourru, M. D. P. tom.* 1, *obſ.* 12, *p.* 99.

(*i*) Vid. *Trnka, de Tetano.*

fectum, niſi magnâ doſi præſcribatur : opii tincturæ guttas 200 unâ vice præbuit D. *Chalmers* (*k*) ; & extracti opii 10 grana illuſtriſſ. Profeſſor D. *Sabatier*, ut ipſe, pro ſuâ amicitiâ, mihi retulit.

Circà balneorum uſum in convulſivis affectibus Auctores inter ſe non conſentiunt. Alii tepida, alii frigida, alii calida balnea commendant ; & horum quiſlibet experimentis nititur ut ſuam firmet alienamque reprobet methodum. Hæc verò obſervationum diſcrepantia pendere videtur vel a variâ ægrotantium idioſyncraſiâ, vel a climatum influxu, vel, & forsàn præcipuè, a morbi quodam peculiari vixque perceptibili charactere qui medentis ſcrutinium effugit.

Tepida balnea emolliunt, relaxant, ſicque ſudores promovent, ſpaſmos ſolvunt, & aliorum remediorum effectus obſecundant. A plurimis igitur laudantur, & frequentiùs uſurpantur, & utiliora quidèm videntur tenerrimis infantulis quorum corpora, exquiſitiſſimâ mobilitate donata, validiùs ſuccutere non tutum eſt. Convulſi infantuli 10 dierum, ſolis tepidis balneis curati, hiſtoria legitur in Diarii Med. Paris, tomo 2, p. 24. Non tamen ſæpiùs curationem adimplent omninò balnea tepida ; ſed aliis auxiliis locum faciunt & viam præbent (*l*).

Non tantâ cum fiduciâ ſuadenda ſunt balnea

(*k*) In opere citato, p. 94.
(*l*) Vid. *Projet d'inſtruction*, &c. *p.* 74.

frigida; ipſorum tamen uſum penitùs non rejicio, extremis enim extrema. Talia balnea (ſicuti & gelidæ aquæ affuſionem) jàm miniſtraverat *Hippocrates*. Eadem ſuadent D.D. *Pouppé Deſportes* (*m*), *Cullen* (*n*), *Barrere* (*o*), cet. poſtquàm autem in aquâ frigidâ immerſus fuit æger; linteis probè calefactis obvolvi debet & in lecto calenti, cooperimentis ritè induto, igneque circumdato collocari, ut ſudore manet. At certè periculo non caret hæc methodus (*p*), nec eſt adhibenda niſi maximis cum cautelis & in quantùm irrita fuere alia mitiora auxilia in præcipitique verſatur æger; tunc enim anceps experiri remedium licitum eſt. Sciendum verò quòd indè gravis ſyncopes ſequi poſſit: igitur, ſi perſpirationem tantùm movere mens ſit, ſufficient balnea tepida: & ipſe balneorum frigidorum, in *tetano*, defenſor *Hippocrates*, ut meritò annotavit *Haenius*, « curam ejuſmodi agrediebatur numquàm, niſi debitis cum cautelis: ut nempè *tetanus* ab ulcere non oriretur; ut juve-

---

(*m*) *Hiſt. des Maladies de Saint-Domingue*, *tom.* 2, *p.* 161.

(*n*) *Inſtitutions de Méd. prat. trad. de l'Anglais par M. Pinel*; *tom.* 2, *p.* 160.

(*o*) *Nouvelle relation de la France equinoxiale*, *p.* 73.

(*p*) « L'action du bain froid pour provoquer la ſueur, lorſqu'on met enſuite le malade dans un lit bien chaud, eſt connue depuis long-temps, & a été employée quelquefois avec ſuccès; mais nous doutons de l'efficacité de ce moyen, dans une maladie où les parties ſont dans un violent état de tenſion & de roideur; nous craindrions, au contraire, qu'il ne fût dangereux: la froideur de l'eau agiſſant comme tonique, pourroit augmenter aiſément la tenſion & la roideur des parties, & aggraver par conſéquent les ſymptômes; on doit chercher au contraire à ramollir & à relâcher ». *Projet d'inſtruct. ſur une malad. convulſ.* &c, *p.* 69.

nem benè carnoſum morbus invaſerit, mediaque æſtas ſit. Nec univerſalis fuit ipſi methodus curandi. Cæteris enim operum ſuorum locis jubet ægrum calefacere balneo, foco, linimentis, fomentis, utre aut veſicâ contentis, actu potentiâve calidis, vino &c.; imò poſt calidæ aquæ affuſionem homines obvolvere linteo, obvolutoſque in lecto detinere. Itaque apparet evidenter magnum virum diſtinxiſſe accuratè & ægrorum naturam, & diverſam morbi cum materiem, tum ſymptomata, curamque ex oppoſitis remediis præſcripſiſſe ſapienter (*q*) ». Quidam Auctores ſuadent, nec immeritò, caput in balneo frigido prius mergere, ne ſubitâ corporis totius contractione ſpaſmodicâ humores in encephalum irruant ibique congerantur.

Conducere poſſunt etiàm balnea calida, ſed dubii ſunt exitûs. In neonatis enim morbo noſtro conflictatis radicitùs franguntur vires; atqui balnea calida, cùm copioſiſſimum ſudorem moveant, virium jacturam intendunt & ſyncopem lethalem, ad quam ſponte tendit æger, inducere poſſunt. Nuſquàm igitur miniſtrentur hæc balnea, niſi urgeat neceſſitas, & cautiſſimè, & adſtante Medico.

Solertiſſimus Gratianopolitanus, apùd Gallos, Chirurgus *Ozia Aimar* (*r*), primus in *tetano* mercurii expertus eſt efficaciam, quam dein ulterioribus tentaminibus comprobârunt Angli

(*q*) *De Haen, rat. med. tom.* 5, *part.* 10, *cap.* 4, *p.* 351.
(*r*) Ut videre eſt apùd *Riverium*, *obſ.* X, *p.* 580.

Medici. Teſtatur *Lind* in *tetano* proficere ptyaliſmum mercurialibus frictionibus promotum. Illuſtriſſimus D. *Fouquet*, in duodecimâ ex quæſtionibus quas propugnavit pro Regiâ Cathedrâ vacante in *Ludoviceo* Medico Monſpelienſi, agens de *tetano*, tres refert, ipſi communicatas a celeberrimo Practico D. *Farjon*, obſervationes, quibus mira præſtantia mercurialium frictionum ſimùl & alternatim cum balneis tepidis adhibitarum apprimè demonſtratur. Ex his nonne conjicere licet, mercuriales frictiones quid utile agere poſſe, in *morbo ſeptem dierum?* Non tamen in illo miniſtrari debet tale medicamen, niſi cautè admodùm & minimâ doſi, ob teneram puerulorum compagem, cet.

Ob vim inſignem quam habet cortex Peruvianus partium organorumque functiones ad tenorem mediocrem, ad æquilibrium perfectum, revocare (*s*); maximè confert ad curationem *tetani* aliorumque morborum convulſivorum: nec minùs, ut puto, emolumenti afferret in noſtro neonatorum morbo, dummodò congruâ doſi præberetur. *Binet*, qui in indiis orientalibus Medicinam exercuit, teſtatur nil adversùs *tetanum* efficacius dari cortice Peruviano. Puerum *tetano* detentum cortice noſtro ſanavit peritiſ-

(*s*) Neque lubenter iis concederem, qui in caſu quo cuncta emollienda ſunt, vim corticis Peruviani indicationi adverſam crederent: ignota nobis ea illius vis eſt, atque facultas, quâ & in rigidis fibris & in flaccidis, & in humore ſpiſſiore, & in tenuiore, inordinatos nervorum in febribus motus, & tenſionem relaxet, compeſcat, hominemque reddat ſanitati. *De Haen, rat. med. tom.* 5, *part.* X, *cap.* 4, *p.* 374.

ſimus *Storck* : en ipſius verba ; *tentavi diverſiſſima remedia in his convulſionibus decantata, & aliàs optimo cum effectu exhibita, verùm in omnibus fruſtrà fui. ... miſturam cort. Peruani miniſtravi, & puerum integrè ſanum robuſtumque vidi* (*t*). Idem obſervavit *Plenckius*. Egregius *Cullen*, in *Choreâ Sancti Viti*, finem feliciter præbuit. Ipſemet, cùm nuperrimè legiſſem in commentariis a Regiâ Hiſpalenſi ſcient. ſocietate editis, corticem Peruanum valdè in epilepſiâ & ſimilibus prodeſſe ; idemque in tomo quarto Med. Rat. R. P. Rodrigués Monachi Ciſtercienſis comperiſſem ; dictum corticem felici cum ſucceſſu præſcripſi tribus ægris, quorum duo erant parvuli lactentes ; tertius verò, adultus, ex vulnere *tetano* deprehendebatur : lactentibus ſiquidèm, ante corticis miniſtrationem, exhibui purgantia & aquam pulli, deindè tincturam corticis largâ quantitate, tàm ore, quàm cliſmatis formâ dedi. Adulto verò, nullo alio præceſſo auxilio, tincturam corticis pro potu copioſo præbui, eademque vulneri continuò affuſa fuit : & omnes integrè curati evaſerunt.

Quid utile ſperare licet etiàm, in *morbo ſeptem dierum*, a vi electricâ, a frictionibus, & quibuſlibet aliis quæ vim vitalem acuere & perſpirationi favere valent.

Obſ. 1. Parvulo ſeptem dierum, morbo neonatorum convulſivo correpto, in Noſocomio Limano Pauperum Chriſti, primum lac matris

(*t*) *Annus med. par.* 2.

(*coloſtrum*) præbui, eumque in balneo ex decocto *herbæ Paraguay* collotenùs immerſi; dein totum ejus corpus ungere juſſi linimento confecto ex unguento altheæ, ung. martiato *Agrippæ*, oleiſque ſuccini ac caſtorei; & ſanatus fuit.

Obſ. 2, 3, 4. Infantuli tres quorum primus erat trimeſtris, ſecundus quadrimeſtris, & tertius tandem quinquemeſtris, convulſionibus tenebantur: ipſis leve purgans, potum ex aquâ pulli, balnea in decocto *herbæ Paraguay*; & unctiones cum linimento ſuprà dicto miniſtravi, & perfectè convaluerunt.

EPILOGUS. Non ſolùm mox a partu convulſionibus obnoxii ſunt infantuli noſtrates; ſed etiàm aliis temporibus, & præcipuè per lactationem; idque a plurimis cauſis; ab aëris nempè intemperie; a lacte corrupto, aceſcente, a dentitione (*v*); ab humore acri, vellicante; a vermibus; a variolis (*x*); potiſſimùmque a nutricis prægnatione, quæ ſanè noſtratium puerulorum interemptor verber dici poteſt; ità ut plures, etiàm, etſi uberibus ablatos, hâc nutricum nefandâ incuriâ miſerrimè extinctos infantes vidi.

Eſt in Peruviâ locus *Guancavelica* dictus, ubi

(*v*) Quandò enim dentes, præſertim majores, è gingivis erupturi ſunt, ſæpè febris excitatur, cui non rarò motus convulſivi adjunguntur. Et licet hoc tempore infantes viribus plus valeant, eòque morbi inſultus meliùs quàm recens nati tolerent; attamen affectiones ſpaſmodicæ etiàm nunc, nec graviore aliquâ occaſione excitatæ, valdè periculoſæ, ac interdùm lethales, exiſtunt. *Willis*, *t.* 1, *p.* 468.

(*x*) Convulſiones autem antè variolarum eruptionem fieri, bonum.

infantes qui a *morbo ſeptem dierum* ſalvi evadunt, tertio vel quarto ætatis menſe affectu quodam gravi pectoris cum tuſſi moleſtâ corripiuntur. Hic morbus *Pechuguera* dictus, infantes tantùm albi coloris afficit; ociſſimè ſuas decurrit periodos, quæ inflatione moxque ſuperventurâ morte terminantur; & oriri videtur ab aëris intemperie, a labe hæreditariâ, a vaporibus ſulphureis, mineralibus, metallicis, quæ ex fodinis mercurii ibi reperiundis & ex fornacibus in quibus metallum illud repurgatur, tantâ copiâ eructantur, ut atmoſpheram denſiſſimâ quasi nube, æſtate præſertim, obſcurent (y). Fugâ tantùm præcaveri poteſt hæc dira lues; igitùr, ante ſecundum ortûs menſem, in aëre ſalubriori transferantur infantes.

Adulti etiàm, Limani, utriuſque ſexûs, & quidem ſenes convulſionibus valdè proni ſunt; ità ut illas, noſtro ſub climate, endemicè graſſari dici poſſit; cum eo tamen quod 1°. ut vidimus, in recens natis convulſiones ſemper lethales ſunt, (ſaltem nullo adhuc certo profligari potuerunt auxilio); dùm in lactentibus non ſemper, & in cæteris rariſſimè, ſi excipiatur *tetanus* qui a vulneribus, amputationibus, fracturis, cet. Exordium ducit (z); quem *tetanum* jam lethalem dixerant *Hippocrates* (a),

(y) Hujus morbi mentionem egit D. *Ulloa* in opere ſuo *noticias Americanas* inſcripto.

(z) In Noſocomiis frequentiùs obſervatur hic *tetanus* ab eorum inſalubri atmoſphærâ.

(a) Convulſio vulneri ſuperveniens lethalis. *Aphoriſmorum ſect.* 4, *aph.* 2, *& coac. prænot. cap.* 13, *edit. Hallerianæ.*

Aretæus,

Aretæus (*b*), cet. 2°. Invaſionis modus etiàm differens eſt : neonati & lactentes vehementer convelluntur ; ætate verò provectiores ſolo triſmo corripiuntur, & ſubitò, & citrà prævium ullam ægritudinem. Hæc maxillæ tonica contractio, vernaculâ linguâ, *paſmo*, ſeu *aire*, a noſtratibus nominatur.

Mulieres ob evectiorem quâ donantur ſenſibilitatem & delicatiorem nervorum compagem, convulſionibus obnoxiores ſunt. Eiſdem rationum momentis, nulla ætas his frequentiùs corripitur quàm puerilis.

Inter cauſas plurimas ad convulſiones prædiſponentes, quas hic ſingulatim recenſere longius foret, non lævioris eſt momenti prava conſuetudo quam ducunt noſtrates, dùm aëri libero ſeſe exponunt mox a potu, infuſionis *herbæ Paraguay* quam loco *thé* aut *café* frequentiſſimè aſſumunt, quæque perſpirationem vehementer movet. Hâc causâ tamen minus afficiuntur viri, quià, immediatè poſt hunc potum, fumum tabaci ope fiſtulæ hauriunt.

Europæi aſſueti manè nudis pedibus è lecto deſcendere, cùm idem agant in Peruvià, convulſiones patiuntur. Hâc causâ, *tetano*, cum disjunctione maxillæ inferioris a ſuperiore, correptos vidi, D. *Franciſcum Bertos*, Hiſpanum ; & Dominam *Margaritam Gonſalès*, in quâ

(*b*) Ob vulnera fieri ſolet, *Tetanus*, membranâ, aut muſculis, aut nervis punctis, ex quo plerumque moriuntur, a vulnere enim convulſio lethalis eſt. *Aretæi, de cauſ. & ſign. acut. lib.* 1, *cap.* 6, *de Tetano, ſeu rigore.*

tamen levior fuit dehiſcentia. Hanc verò maxillæ dehiſcentiam jàm obſervaverat, poſt *Hippocratem* (c), *Aretæus*, qui ſic ; *in opiſthotono* (d) *maxilla inferior pleràmque dehiſcit, & rarò cum ſuperiori committitur* (e) : erravit igitur clariſſ. *Trnka*, dùm dixit, *quod de Aretæi ſententiâ faciendum ſit, ingenuè fateor me poſt diurnam licet ejuſdem meditationem prorsùs ignoraſſe. Nam neque veterum quiſquam alius, neque noſtræ ætatis ullus obſervator quos mihi conſulere licuit, hujus phœnomeni (maxillæ dehiſcentiæ) meminit.*

Non ſoli homines ſed animalia quoquè, in Peruviâ, *tetano* corripiuntur : aſt mirum ſanè quod homines brevi facilèque ſaneſcant, dùm animalia ſubitò quasi fulgurata occumbunt.

Ad aliam convulſionis ſpeciem Limani obnoxii ſunt ; ad epilepſiam videlicet, a nobis *mal de gota coral*, & ab Hiſpanis *Alferecia*, cujus curatio valdè difficilis eſt. Neminem novi hoc affectu correptum, in quo omnia Medica præſidia fruſtrà non fuerint tentata. Ancilla venerandæ viduæ *De Aparicio* a teneris annis hoc diro morbo vexata ; ſpaſmodicis ſeu epilepticis inſultibus cuique lunæ phaſi periodicè recurrentibus, corripitur, cum miris phœno-

(c) In nervorum rigoribus & poſteriorum partium diſtenſionibus (*i. e. Tetano*) maxillas ſolvi ; lethale eſt. *Hipp. coac. prænot. cap.* 13, *ex edit. Hallerianâ.*

(d) *Tetanus*, *Opiſthotonus*, *Emproſtotonus*, nil aliud ſunt quàm unius & ejuſdem affectûs modificationes variæ.

(e) *Aretæus*, *lib.* 1, *cap.* 6, *de Tetano.*

menis ; nunc enim aquas copiosè dejicit ; nunc obeso gaudet corporis habitu , & hæc est sua naturalis constitutio ; nunc macie horridâ deformatur ; nunc pili ejus ungueſve cadunt ; nunc ab cessus in variis corporis sui partibus fiunt : nec miteſcunt hæc ; invitâ arte.

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in illis,
Sive obscura nimis, sive latina parum;
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat. . . . . .
. . . . . .
Hæc mala sunt; sed tu non meliora facis.
Martialis Epigram. 8, *lib.* 2.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 21, lin. 15, Guarigni, *leg.* Jauregui.
Pag. 38, lin. 4, confectio, *leg.* confectio.
Pag. 53, lin. 15, mal d'eſtomago, *leg.* mal deſtomago.
Pag. 95, lin. 6, lateat, *leg.* lateat.
Pag. 105, lin. 1, *edicament. leg. medicament.*
Pag. 120, lin. 18, *proſertì. leg. præſertim.*

INDEX CAPITUM.

Exordium, ... *Pag.* 5.
Cap. I. *De Febribus*, ... 13.
Cap. II. *De Cardialgiâ*, ... 24.
Cap. III. *De Cholerâ*, ... 29.
Cap. IV. *De Dyſenteriâ*, ... 39.
Cap. V. *De Hydrope*, ... 52.
Cap. VI. *De Cancro*, ... 69.
Cap. VII. *De Syphilide*, ... 94.
Cap. VIII. *De Scabie*, ... 107.
Cap. IX. *De morbo ſeptem dierum, ſeu de Peruanorum neonatorum morbo quodam convulſivo graviori*, 111.

BIBLIOTECA MEDICINA UNIVERSIDAD CENTRAL